

poterit, qui ignorantia tenebris involutus fuerit, atque demersus. Quod si ita sit, quid ex hoc consequi necesse est, nisi id quod Salvator ait Matth. 6. Si lumen, quod in te est, tenebrae sint, ipsa tenebrae quanta erunt? Ridiculosa (ait Sanctus quidam) res est, & sic certe periculosa, speculator tacus, doctor inscius, praecursor claudus, Praelatus negligens, & praeo mutus. Loquentes Doctores, & non facientes damnat S. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 28. dum ait: Neque docentium oratio perinde animos acuere solet, ut vita & mores. In eandem sententiam haec quoque habet idem sanctus Pater eodem lib. epist. 275. Vita sine sermone magis prodesse solet, quam sermo sine vita. Hinc Cassiodor. lib. 11. epist. 8. Non potest auctoritatem habere sermo, qui non iuvatur exemplo. Det ergo suis Doctor dictis auctoritatem, opere compleat quae docet, ducem se auditoribus suis praebat, & veri Doctoris sustineat partes. Magisterium, ait S. Petrus Chrysologus serm. 167. stat de scientia, sed magisterii auctoritas stat de vita, docenda faciens obedientem perficit auditorem, docere factis est sola norma doctrina; doctrina in dictis scientia est, in factis virtus; scientia ergo illa vera est, quae fuerit mixta virtute, &c.

Respondere sermoni vita debet, ne aliud loquamur, aliud operemur: scitè S. Hieron. epist. qua est ad Nepotianum, ita scribit: Non confundant operatua sermonem tuum, ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo haec qua dicis, ipse non facis? Delicatus magister est qui pleno ventre de jejuniis disputat; accusare avaritiam & latro potest: Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordem. Nicolaus Notarius S. Bernardi epist. 39. Scio illum esse beatum, cui pulchro sermone vita sit pulchrior: & S. Isidor. Pelusiota lib. 2. epist. 148. si sermonibus nostris fidem haberi volumus, rectè vivamus. Unde S. Alcuinus in Poëmate, n. 179.

Doctor erit magnus, factis qui quod docet, implet. Et sanctus Prosper libro epigr. num. 7.

Non prodest cuiquam solis bona dicere verbis,

Ni pia mens habeat, quod bene lingua sonat.

Nam fari rectè, miserum est, & vivere pravè.

Damnat nota malum regula iustitia.

8 Cum ab Apost. 1. ad Corinth. 8. discamus, quod scientia inflat, non quidem suo, sed hominum vitio, qui bonis saepe rebus ad perniciem abutuntur, ideo danda opera est, ut haec ipsa scientia humilitatis virtute condiatur, ne turgescat fastu, & eam habenti noceat, quae aliis praesidio esse solet, & saluti: id quod Gregor. in Moral. admonet his verbis: Summa cura providendum est, ne accepta sapientia, cum ignorantia tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat, & iam sapientia esse nequeat, quae etsi loquutionis virtute fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obscurat.

9 Et alibi: † Vera scientia afficit, non extollit, nec superbientes, quos impleverit, sed lamentantes facit; quae quisque cum repletus fuerit, priori loco se scire appetit: & iam sui conscius, tanto per illam robustius sapit, quanto se infirmum in illa verius recognoscit. † Scientia enim sine charitate inflat, charitate verò formata edificat: quantum verò charitas perficiat, juvetque scientiam, apertè docet Augustinus de laude charitatis, his verbis: Divinarum Scripturarum multiplicem abundantiam, latissimamque doctrinam sine ullo errore comprehendit, & sine ullo labore custodit, cujus cor plenum est charitate.

11 Non solum igitur operatio, sed ipsa etiam divinarum eloquiorum meditatio aciem mentis acuit, & illustrat: ideoque ait Psalmista Psalm. 218. Super omnes docentem intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est: id est, non quia in scholis diu inter praecceptores versatus sum, sed quia in eloquiorum tuorum meditatione exercitatus sum, ideo omnes Doctores meos longè superavi. Ait etiam idem Propheta Psalm. 32. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur.

Aug. Barbosa de Episcop. Pars I.

judicium. Et iterum Psalm. 218. A mandatis tuis intellexi, hoc est ingredi viis tuis, & mandata exequi. Sanctissime legis tuae intellectum mihi & cognitionem ejusdem legis auxi, quemadmodum quotidianus armorum usus, & frequens consuetudo bellandi rei militaris scientiam parit. Si ergo divinam vis scientiam assequi, cognosce, & ama ipsum scientiae principem & auctorem; illum enim agnoscit quisquis eum vehementer amat: quod rectissime Plato sensit, cum amare Deum philosophari esse dixit, & ipsum agnoscere: quod Regius Propheta significavit, cum dixit Psalm. 33. Gustate, & videte quam suavis est Dominus. Prius enim Dominum amando gustamus, deinde gustu ipso quanta sit ejus bonitas, & suavitas, edocemur. Unde consequi videtur, ut quem Deus charissimum habeat: eum etiam secretorum suorum participem faciat, sicut ipse Discipulis testatur dicens Joan. 15. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quae audivi à Patre meo, nota feci vobis. Hinc D. Augustinus contra Manich. lib. 1. ait: Si voluntatem Dei quisque nosse desiderat, fiat amicus Deo, quia si voluntatem hominis nosse quisque vellet, cujus amicus non esset, omnes ejus impudentiam deriderent: nemo enim efficitur amicus Dei, nisi purgatissimis moribus; nullas divinas res videre ac intelligere potest, nisi ad Deum accedat, illoque familiariter utatur: nam purgato igne charitatis affectu, necesse est purgari etiam intellectum, cujus pleraque tenebrae, & turbulenti errores ex affectuum impuritate, corruptis moribus, depravataque voluntate ferme oriuntur: quae ubi ad malum propensa est, suo etiam pondere atque impetu intellectum ad omne impuritatis genus trahit, sibi quoque obsequentem facit. Quo fit ut purgato affectu purgatior quoque, sanior, & perspicacior reddatur intellectus, juxta illam Propheta vocem, Psalm. 110. Intellectus bonus omnibus facientibus eum: hoc est, casto & puro affectu colentibus Deum.

Sic praeditus qua decet scientia Episcopus, veluti suae diocesis sol, & homo totus igneus, totus in conquirendis Christo animabus intentus, exemplo semper & verbo saepissime praedicare debet. Unde noster Apostol. 1. ad Timoth. 4. Attende, inquit, lectioni, & exhortationi, & doctrinae. Et iterum: Attende tibi, & doctrinae, insta in illis; sic enim te salvum facies, & eos qui te audiunt. Unde Gregor. epist. 17. lib. 6. sic dicit: Tanto celerius quisque ab omnibus suis peccatis absolvitur, quanto per ejus vitam, & linguam aliorum anima, suorum peccatorum nexibus solvuntur. Et alibi: Lingua Episcopi fomentum sit bonis, aculeus malis, tumidos retundat, iratos miiget, pigros ac desides exacuat ac succendat, asperis blandiatur, desperatos consoletur.

Praedicandi munus Episcopis ita incumbit, ut etiam Gregorius Summus Pontifex se ad illud adstrictum agnosceret, dum scribens ad Dominicum Episcopum Carthaginens. sic ait epist. 39. lib. 2. judic. 10. Episcopi est de predicationis ministerio semper cogitare, intensissimo timore considerans, quod recessurus ad percipiendum regnum Dominus, & talenta servis distribuens dicat, Luc. 19. Negotiamini dum venio: quod profectò negotium tunc verè nos agimus, si vivendo, & loquendo proximorum animas lucratur: si infirmos in supremo amore roboramus: si protervos, & tumidos gehennae supplicia terribiliter insonando flectamus: si nulli contra veritatem parcimus: si supremis amicitiis dediti humanas inimicitias non timemus. Sed ad hoc ego pondus meae infirmitatis expavesco, cogitans rationem, quam sum redditurus. Qua enim mente illum sustinebo, cui de suscepto negotio animarum lucrum nullum reporto. Idem Gregor. epist. 37. lib. 4. comparat † Ecclesiam sine Episcopo arenti alveo. Cum autem is venit in Ecclesiam suam, est velut cum fluvius revertitur ad arida saxa, qui juxta politas valles rigat, ut fructum ferant, alia quidem trigesium, alia sexagesimum;

& aliud centesimum, & per fluentia linguæ erumpunt flores usque ad fructus maturos. Quod si dicat Episcopus, prædicationi in isto, sed fructum non video: recolat pulcherrima illa Bernardi verba ad Eugenium, sic dicentis: *Fac quod tuum est, nam Deus quod suum est, satis absque tua sollicitudine, & anxietate curabit: planta, riga, ser curam, & tuas explevisi partes: sane incrementum Deus, quando voluerit, dabit: Deus, inquam, non tu; quod si forte noluerit, tibi adperit nihil. Communica coeleste triticum sine invidia, & sine desidia: de solo tibi credito talento respondere tibi para. Si multum accepisti, multum da; si modicum, & id retribue: etenim qui in modico fidelis non est, neque in maximo erit. Votum quod habes da, quia totum repetendum est usque ad ultimum quadrantem. In his duobus mandatis, verbi scilicet, atque exempli, summam tuæ officii ad conscientia securitatem pendere intellige. Tu tamen si sapias, iunge & tertium, studium scilicet orationis. Manent itaque tria hæc, verbum, exemplum, oratio: major autem horum est oratio; nam est vocis virtus sit opus, operi tamen, & voci gratiam efficaciamque promeretur oratio.*

15 Exemplo, ut supra dixi, intentus prædicare debet Episcopus, quia sicut necessitate loci compellitur summa docere, ideo eadem necessitate compellitur eadem vita, & opere monstrare: tria enim hinc colligit S. Gregorius: *Primo*, cuius vita despicitur, restat ut ejus quoque prædicationis contemnatur. *Secundo*, ille uberes prædicationis fructus colligit, qui semina bonæ operationis præmittit; nam loquendi auctoritas perditur: quando vox opere non adjuvatur. *Tertio*, si negligis implere quod doces, aliis messem seminas, & ipse à frumenti participatione jejunas. Quid infamius quam docere contemnendum factum, & epulas splendidas, & cætera hujus generis, & hæc eadem operibus sectari, imò credere necessaria ad auctoritatem officii? Ideò prædicator jubetur ascendere super montem excelsum, videlicet ut sit elevatus à terrenis affectibus, & operibus; & non solum debet vita transcendere malos, sed etiam omnes bonos subditos, quia sicut eos superat honore Ordinis, ita & excellentia virtutis: omnibus devotior, humilior, patientior, abstinentior, largior, &c. quique nulla prospera presentis vitæ appetat, nulla adversa pertimescat: blandimenta mundi (considerato intimo terrore, ac periculo status sui) despiciat: terrores autem mundi (considerato blandimento internæ dulcedinis) contemnat: non illum prospera elevent, non adversa perturbent, non blanda usque ad voluptatem demulceant, non aspera usque ad desperationem premant: contra vitia clamet, neque cesset, quasi tuba exaltet vocem suam: non sit sicut illi, de quibus *Isai. 59.* dicitur: *Canes muti non valentes latrare;* & noster Apost. ad *Tit. 1.* *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicant, arguere.* Admonendi sunt, ait S. Gregor. *lib. 30. Moral. cap. 5. & part. 3. post admonit. 25.*

16 ¶ qui rectè quidem verba legis intelligunt, sed hæc humiliter non loquuntur, ut in divinis sermonibus priusquam aliis eos proferant, semetipsos requirant, ne insequentes aliorum facta se deserant. Et cum rectè cuncta de sacra Scriptura fontiunt, hoc solum quod per illam contra elatos dicitur, non attendant. Improbus quippe, & imperitus est medicus, qui alienum mederi appetit, & ipse vulnus quod patitur, nescit; qui igitur verba Dei humiliter non loquuntur, profectò admonendi sunt, ut cum medicamenta ægris apponunt, prius virus suæ pestis inspiciant, ne alios medendo ipsi moriantur. Admoneri etiam debent, ut considerent ne à virtute dicendi, vivendi qualitate discordent, ne loquendo aliud, & ostendendo aliud prædicent: idem S. Doctor, & Pontifex Gregorius *lib. 23. Moral. cap. 4.* ipsum prosequitur his verbis: *Sancta universalis Ecclesia spiritualis quisque prædica-*

tor, in cunctis qua dicit, solerti cura se inspiciat: ne in eo, quod rectè prædicat, vitio se elationis extollat, ne vita à lingua discordet, ne pacem quam in Ecclesia annuntiat, in seipso dum benè dicit, & male vivit, amittat. Sed studeat summopere contra maledicos rumores adversantium & defendere loquendo quod vivit, & ornare vivendo quod dicit.

Episcopus juxta sui nominis rationem in specula Ecclesiæ constitutus, aliorum pericula & prospicere, & annuntiare debet. Pertinere autem ad omnes suo modo munus hoc, indicat planè D. Augustinus de *ver. relig.* his verbis: *Hæc est lex divine providentiæ, ut nemo à superioribus adjuvetur ad cognoscendam gratiam Dei, qui non ad eandem pio affectu inferiores adjuvet.* Hinc etiam D. Gregor. in *Moral.* ait: *Miles Dei supernæ gratiæ nixus auxilio, sic vulnera infirmitatis suæ curat, ut aliena non deserat. Certum est sanitatem animæ (qui Apostolici hujus officii finis est) dono Dei hominibus contingere, nec ullam aut potentiam, aut vim dicendi ad hoc sine Dei præsidio posse sufficere; nam quo quisque sanctior fuerit, eo plures oratione sua Christo animas lucrifaciet, atque ideo in officio concionandi prior merito erit, atque præstantior. Unde evidenter agnoscimus, neminem sine speciali Dei auxilio ad Deum venire, à peccati morte excitari posse. Sic enim apud *Joan. 6.* legimus: ¶ *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Et ideo propter hoc Dominus Discipulos suos, quos prædicatores instituebat, his verbis admonet apud *Joan. 15.* *Sicut palmes, inquit, non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Quamlibet ergo disertus, quamlibet potens in sermone quisque sit, frustra tamen loquitur, frustra sudat, frustra clamat, nisi coelestis hujus magisterii vox interiori hominis aure sonet. Sic enim D. Gregor. in *Moralib.* ait: *In cassum homo exterius monetur, si intus cor ejus gratiæ non repletur. Est enim mutum omne, si ille intus in corde non clamat, qui aspirat verba qua audiuntur.* Rursusque idem in *homil. Nisi Spiritus sanctus adsit cordi audientis, otiosus est sermo Doctoris.* Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit; quia nisi intus sit, qui doceat, Doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Eandemque iterum alibi sententiam repetit his verbis: *Nisi Spiritus sanctus auditoris corda repleat, ad aures corporis vox Doctoris in cassum sonat. Formare enim vocem magistri exterius possunt, sed hanc interiùs imprimere non valent.**

Non solum igitur oris, sed totius Ezechiel etiam hominis sanctitas, & cum ipso ore concordia ad prædicandi munus exercendum requiritur, ut totus sit immaculatus, & purus, qui puritatis suæ participes alios efficere debet. Hinc D. Gregor. super *Ezech.* ait ita: *Ille loqui veritatem novit, qui prius benefaciendo didicit, & tunc verbi semen germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. Propter quod Dominus cum Hieremiam prædicatorem creare voluisset, prius illum in utero etiam matris omni peccati labe purgavit, ut singulari quadam puritate, & sanctitate esset insignis, qui alios ad sanctitatem, puritatemque vocare debeat. Esaiâ quoque labia coelesti igne, & angelico ministerio purgantur, ut sic idoneus redderetur, qui alios à peccati sordibus purgare posset. Paulus verò ultra humana raptus est ad tertium cælum, & coelestia secreta cognovit, ut Ecclesiarum futurus Doctor inter Angelos disceret, quod inter homines prædicaret. Merito ergo D. Gregorius Nazianzenus mores optimi Concionatoris describens, ait: *Mundari prius oportet, & sic alios mundare: sapientem prius fieri, & sic alios facere sapientes: lumina fieri, & sic alios illuminare: ad Deum accedere, & alios**

alios ad Deum adducere : sanctificari , & ita sanctificare : manus habere erectas , & sic cadentibus porrigere manus.

20 Laborent opere , & exemplo in prædicando Episcopi. In ipsa prædicatione debent quatuor considerare. *Primum* , tempus , ut non semper loquantur , sed temporibus opportunis. *Secundum* , locum ; quia in Ecclesia prædicatione fieri debet , vel in alio loco publico , & honesto , non autem in privatis domibus , ne ex hoc nascatur suspicio hæresis. *Tertium* qualitatem audientium. *Quartum* modum , & qualitatem dicendorum , sapientibus enim , & dignis potest Prædicator alta , & profunda prædicare ; simplicibus verò , & non capibus pauca , plana , & utilia , ut per Præpos. num. 3. Turrecr. num. 4. D. Acunha num. 5. in princip. dist. 43. Nec à proposito deviet instituto , etiam quod corda subditorum terrenis rebus , sive secundis , sive adversis irretiri videantur ; nam majoris erit occasio damnationis sic audita doctrinà ; & non recepta , & maximo suo damno percipient lucem , quam rejiciunt , salutem quam despiciunt , doctrinam quam contemnunt , medicinam qua non utuntur , & gratiam quam ultro oblatam respuunt. Rectè Divus August. sic ait : *Ab exordio propagationis humana usque ad finem quibusdam ad premium , quibusdam ad judicium prædicatur.* Quod ipse alibi eleganti explicat similitudine , dicens : *Simul pluit Dominus super segetes , & super spinas ; sed segeti pluit ad horreum , spinis ad ignem , non quod ipse Dominus ad hoc pluat , sed quod terra ipsa coelestem desuper bibens imbrem , proferens autem spinas , & tribulos , his à quibus colitur reproba est , & maledicta proxima , cujus consummatio in combustionem , ut Apost. ait.*

21 Inter pastorales curas , & virtutum exercitium præcipuum locum habet sollicitudo diocesim visitandi. Est enim visitatio quasi anima Episcopalis regiminis , quoniam per eam Pastor se diffundit , & expandit omnium suarum ovium commodis , & utilitatibus :

22 † verus quidem Episcopus dum exit ad discurrendum per omnes parochias , est quasi sol egrediens ad illustrandas terras , ut videlicet tres actus illos hierarchicos exerceat , qui sunt purgare , illuminare , & perficere. Nam quemadmodum matutinus lucis splendor nocturnas tenebras fugat , ita Sancti Pontificis præsentia , veluti spiritualis quidam Sol tenebras flagitiorum , & peccatorum hominum virtutis suæ fulgore depellit. Procedit enim ad exhortandum ; prædicandum , arguendum , increpandum , sacro Chrismate confirmandum , & ut exploret quomodo Sacramenta administrantur , quanta reverentia , & munditia divinum Sacrificium celebretur : denique ad consolandum omnes lugentes , & egentes , tam spiritualibus , quam temporalibus commodis.

23 † Innumerabiles itaque sunt utilitates , quæ ex personali Episcopi visitatione proveniunt ; per illam enim Basilicæ instaurantur , dierum festorum cultus restituitur , tenuiorum oppressiones arcentur , dissidia componuntur , concubinarij corriguntur , blasphemias , ludi illiciti , perjurja profligantur , plurimaque mala aliquin ignota , perniciosèque serpentina deteguntur , atque elimantur ; nam solis dumtaxat excommunicationibus , aut pœnis aliis criminibus medendum non est , sed potius verbis , auctoritate , & charitate , obsecrando , & increpando , & mille aliis modis , quos verus Pastor , & sponsus animarum excogitat , amans gregem quasi sponsam , quam non ita curat mercenarius visitator. † Non sufficit igitur Episcopum mittere probos viros ad lustrandas parochias , sed oportet & ipsum ire , juxta illud Lucæ cap. 10. *Misit Dominus Discipulos suos in omnem civitatem , & locum , quo erat ipse venturus.* Et Joan. 15. *Posui vos ut eatis , & fructum afferatis.* Id enim eis convenit quatenus Pastores sunt , quibus præcipitur , ut diligen-

ter agnoscant vultum pecoris sui , suosque greges considerent , ut videlicet eorum morbos , pericula , pabula , custodes , & cætera quæ illis necessaria sunt , diligenter provideant. Ait ipse Salvator Joan. 10. *Bonus pastor proprias oves vocat nominatim.* Multa præterea passiva in visitationibus sese offerunt , quæ non cujuslibet ministri , sed ipsius Episcopi auctoritatem , dignitatem , potestatem , atque opes interim requirunt , & quoniam solitis majora sunt , majori etiam auctoritate tractanda , & componenda sunt. Quod autem in Episcopo requiratur scientia bene gubernandi domum suam , & familiam , vide infra hoc eod. tit. glos. 16. Et quod etiam in eo requiratur scientia sæcularium scripturarum , probatur in cap. legimus 7. §. hinc etiam , dist. 37. ubi D. Acunha num. 3. & citat Gregor. Lop. l. 37. tit. 5. part. 2. Si verò ignarus sit eorum , quæ sunt ad Pastorale munus necessaria , an debeat se ab Episcopatu abdicare ? vide Azor. instit. moral. pat. 2. quem refert , & sequitur D. Acunha in c. omnes 6. num. 5. dist. 38. ubi tenet , debere Episcopatum dimittere , aut sibi idoneum adiutorem adsciscere , alioquin suo muneri , & officio non satisfacit.

G L O S. XI.

Non vinolentum.

S U M M A R I U M.

- 1 Vini potatio nimia clerico comprimenda.
- 2 Vinum multum etiam citra temulentiam sumentibus Dominus sempiternum comminatur excidium.
- 3 Inebriari aliquem cogens qualiter peccet, ostenditur.
- 4 Vinum moderate sumptum multa bona corpori, & anima prestare potest.
- 5 Vinum immoderate sumptum, malorum omnium est origo, & quæ ex illo nascantur, ostenditur.
- 6 Ebrietas quibus signis cognoscatur, ostenditur.
- 7 Cretenses, Lacedæmonii, & Carthaginenses legem sanxerunt, ut nullus in exercitu vini potationem gustaret.
- 8 Hispani omnes, & præcipue Lusitani, præsertim diuini pueri, & adolescentes sunt, ac mulieres, saltem donec viro copulentur, vini abstinentiam excolunt.
- 9 Vinum bibere foemina ignominiosum semper fuit.
- 10 Marcellus Consul Romanus uxorem suam, eo quod vinum bibisset, fuisse percussam interemit.
- 11 Egnatius Mecenius uxorem interfecit, eo quod vinum bibisset à dolio, & à Romulo cadis absolutus fuit.
- 12 Mulier omnis, quæ vinolenta, & comessatrix, est eadem quoque meretrix est.
- 13 Abstinentia à vino laudabilis valde est, tam in viro, quam in foemina.
- 14 Aquam solum bibentes in inveniendis rebus sagaces, ac ingeniosi sunt.
- 15 Clericis ebrietatibus incumbere propter eorum auctoritatem prohibetur.

**I** P S A M præpensionem ad nimiam vini potationem clerico comprimendam , & edomandam esse admonet Apost. in presenti, quod iterum inculcat ad Titum 1. Non dixit, teste Theophylacto, temulentos, aut ebrios ; hoc enim est omnino indignum : verum non vinolentos, & multum potantes ; potatio siquidem multa, animam, mentisque vim, & vigorem, licet non eripiat, laxat tamen, & debilitat, malique est exempli. Neque solum Deus vino obrutis, sed & multum vitium citra temulentiam ferentibus, sempiternum comminatur excidium, Isai. 5. † *Va qui potentes estis ad bibendum*

num, & viri fortes ad vincendam ebrietatem. Non ergo solum à crapula, & ebrietate se abstinere debent clerici, ita ut non multum vino dediti sint; sed etiam illud in primis ab eis cavendum est, ne convivas, vel alios crebrioribus invitationibus, grandioribus poculis, & vitreis blanditiis, aut minacibus verbis impellant; hoc enim non benevolentia, sed malevolentia indicium est, ut more suo optime docet S. Augustinus *3. serm. 237. de tempor.* † Qui alterum cogit, ut se plus, quam opus est, bibendo inebriet, minus malum ejus erat, si carnem ejus vulnerat gladio, quam animam ejus per ebrietatem necaret. O infelicitas generis humani, quam multi inveniuntur, qui ebriosos & luxuriosos amplius quam oportet, cogunt bibere, & ante oltium pauperibus petentibus vel unum calicem dissimulant dare. Nec attendunt quod illud quod luxuriosis videntur ingerere, Christus in pauperibus deberet accipere, qui dixit *Matt. 25. Quod fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis, &c.* Et idem August. *in serm. insequenti*, sic ait: *Qui amico suo nimium propinat, in anima efficitur inimicus, corpus quoque ejus debilitare, & animum probatur occidere; qui enim ebrietatibus incumbunt, ultra peccatam, quod incurrunt, podagra laborant, & aegritudine diuturna macerantur.* Athenæus igitur *in sua historia de temulentis, lib. 10.* asserit Alexandrum Magnum ex nimio vini potu in infirmitatem incidisse, ac tandem ex ea decessisse, & ibi idem Athenæus refert, quod cum Callisthenes vir sapientia & eloquentia clarus, eodem Alexandro convivante meri poculum, quod ad eum pervenerat, expelleret, rogante quodam cur non biberet, respondit nolle se dum Alexandri poculum ebiberet, Æsculapio indigere.

4 Quemadmodum enim vinum moderate sumptum multa bona corpori & animo præstare potest, ut propterea apud Athenæum *lib. 11.* Socrates vino moderate sumpto has tribuat qualitates: Vinum animos rigans tristitias & dolores, quemadmodum mandragora sopit, & hilaritatem, sicut oleum flammam excitat, plantarum quoque exemplo, quæ temperato inbre, & leni aura perflata recte auferunt, & florent, ad frugemque perveniunt. Plutarchus dicit, vinum hilaritatem afferre, metum abjicere, & veritatis fecundissimum esse, *Arist. 30. sect. problem.* asserit vinum moderate sumptum coctionem juvare, cor exhilarare, cerebrum, & spiritus vitales fovere, somnum conciliare. Plato *2. de legibus*, dicit à Deo vinum contributum hominibus, quasi optimum præsidium conservandi senectutem, quod vino juvenescere videatur, & abolere mæstitiam. *Plin. lib. 23. cap. 1.* sic ait: *Vino modico nervi juvantur, copiosiore læduntur, sic & oculi: stomachus recreatur, appetentia ciborum invitatur, tristitia cura hebetatur, urina ac albor expellitur, somnus conciliatur: præterea vomitatem sistit, collectiones extralanas humidis impositis mitigat.* Deinde subjungit: *Aclepiades utilitatem vini equari vix Deorum potentia posse pronuntiavit.* Galenus *lib. de causis morborum, cap. 3.* affirmat vinum modice sumptum colorem naturalem augere. Et *lib. de composit. pharmacorum secundum locos, cap. 3.* ita loquitur: *Vinum nutrit, concoquit, roborat, putrefactioni resistit, & intemperiem à frigiditate, & humiditate contractam, citra omnem molestiam, ac secure persanat.* Avicenna *2. primi, doct. 3. c. 11.* Vinum, inquit, *ex sui essentia fortes efficit sanos, & vivificat virtutem: propterea quod velociter præbet augmentum in substantia spiritus.* Et *Prosp. lib. 2. de vita contempl. cap. 22.* Paulus, inquit, *Timotheo discipulo suo, qui se longa abstinentia fregerat, modico vino uti præcipit. Ac per hoc nihil contra abstinentiam faciunt, qui vinum non pro ebrietate, sed tantum pro corporis salute bibant.* Et quod vinum moderate potatum plurimas corpori præstet utilitates, probat *Gutierr. canon. lib. 2. cap. 4. num. 32. cum seqq.*

& à num. 39. ait, vina de per se esse excellentiora quàm aliis rebus habentibus liquorem, & refert quorum locorum vina Hispanica sint excellentissima: de hac re *Petr. Mex. in sylva var. lect. part. 3. num. 16.* *Fr. Joan. de Pineda in agricultura Christiana, dialog. 10. §. 16.*

Ita etiam per contrarium, vinum immoderate sumptum malorum omnium est origo, nam est excitativum discordiarum, & luxuriosa, *25. dist. Aufert cor, sicut fornicatio, 3. Esdr. 3. Osee 4.* & mentis inducit exilium, *cap. vinolentum 35. cap. sane, §. nesciunt, 15. quast. 1.* Est incitativum ad luxuriam, *Apost. noster ad Ephes. 5. & Proverb. 20. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: cap. etsi Christus, ante fin. de jurejur. cap. luxuriari, 35. dist. cap. à crapula, de vita & honest. cleric. Apul. lib. 2. Asini aurei, tradit vinum liberum esse hortatorem, & armigerum Venetis.* Et S. Hieronym. *in epist. ad Oceanum*, sic ait: *Vinolentia scurrarum est, & comessatorum, venterque mero astuans cito despumat in libidines.* In vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia est. Afferit hujus rei exempla S. Hieronym. *epist. 83. ad Ocean. Noë, inquit, ad unius horæ ebrietatem nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat.* *Genes. 9. Loth per tumulentiam nesciens libidini miscet incestum, & quem Sodoma non vicit, vina vicerunt, Genes. 19.* Ex his & aliis concludit idem B. Hieron. *in cap. 1. Titiane epist. Nunquam ego ebrium castum putabo, qui etsi vino confopitus dormiverit, tamen potuit peccare per vinum. Dicat quisque quod volet, ego loquor secundum conscientiam meam, scio mihi abstinentiam & nocuisse intermissam, & profuisse repetitam.* Et vinum, ait idem Hieronym. *epist. ad Eustoch. ac adolescentia duplex incendium voluptatis est: quid oleum igitur flammæ adjiciam? quid ardenti corpusculo fomenta ignea administramus? Obstat deinde vinum vigiliis, & gravat corda hominum, & sensus, dict. cap. vinolentum.* Nimia denique vini perceptio aufert memoriam, dissipat sensum, confundit intellectum, balbutit linguam, corrumpit sanguinem, membra debilitat, exhaurit substantiam, enervat corpus, ac secreta pandit, prout de hoc damnabili, & gravi vitio referunt *Menoch. de arbitr. casu 404. à num. 1. Farinac. fragm. crimin. part. 7. lit. G, num. 253. Less. de justitia, lib. 4. cap. 3. n. 13. Aldrete de religiosa disciplina tuenda, lib. 2. cap. 15. à num. 39. ac alii citati per me alleg. 28. num. 9. & 10. latissime Gutierr. canon. lib. 2. cap. 4. per tot. & præcipue num. 46. ubi ait quod qui vino, ciboque se immergunt, stolidi, ignavi, obtusique fiunt, raroque longævi sunt, facile ægrotant, difficiliter curantur, à corporis viribus, animæque virtute quamprimum destituuntur, fiuntque deliri, & omnibus contemptui, ludibrioque sunt, adeo ut necessarii, ac familiares omnes interitum optent.* *Ludov. Sotomaior epist. 1. ad Timoth. cap. 3. verb. non vinolentum, in princ. Audi D. Ambros. lib. de Helia, & jejuniò, cap. 14. Rogas, inquit, ad jucunditatem, cogis ad mortem: invitat ad prandium, efferre vis ad sepulchrum: cibos promittis, tormenta irrogas: vina præterdis, venena suffundis; omne enim quicquid nocet, venenum est. Tollit sensus, viscera exurit, somnum infert, caput vexat. Noxia est ebrietas ad corporis sanitatem, menti etiam crimen adjungit.* Nam, ut ait *Salomon Proverb. 23. Vinum ingreditur blandè, sed in novissimo mordet ut coluber, & sicut regulus venena diffundit.* Unde *Philo Jud. lib. de plantat. Noë, & lib. de temulentia, vini abusum damnat: & Clemens Alexand. lib. 1. Pedag. cap. 2. multa contra temulentiam atque ebrietatem scribit, allatis Salomonis, & Poëtarum testimoniis. Isidor. Pelusiota lib. 1. epist. 203. commemoratis Noë, Loth, atque Herodis ebrietatibus, subdit omnia vesana crimina à vino promanare. Multa adversus ebrietatem scribit Seneca epist. 84,*

epist. 48. & inter alia inquit : Non est animus in sua potestate, ebrietate devinctus, & quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne quod in imo jacet, in summam partem vis caloris eiecit; sic vino astuante quicquid in imo jacet abditum effertur, & prodit in medium. Onerati vero quemadmodum non continent cibum, vino redundante, ita nec secretum quidem, & quod suum, alienumque est, pariter effundunt.

7 Ebrietas hæc multis signis cognoscitur. Hipp. lib. 2. prenotionum, num. 8. ebrium cognosci asserit, quia sudabit magis quam antea, & difficulter respirabit, & ipse se ipso gravior erit, ac humidior: sed & lætior erit, si non caput ipsi affligatur. Galen. 2. meth. in med. ebrietatis signa esse dicit lupinum jacere, hiare, & stertere, & 10. de simpl. medic. facultatibus, impletis, ac inebriatis urina albida conspicitur. Aristoteles denique sect. 3. problematum, multa signa colligit, quibus ebrietas innotescere potest, præter quæ, alia etiam signa in vinolentis conspiciuntur, nempe stupiditas quædam, nimius risus absque causa, furor talis quandoque ut alios pulsent, mictio involuntaria, tortuosa deambulatio, oculorum inconsueta turbiditas, ac luciditas, nimia ac irrationalis loquutio, atque alii multi turpes effectus sequuntur secundum naturam, quantitatem & qualitatem epoti vini, ac utentis naturale temperamentum, adeo ut jure merito, ut refert Aristot. 2. Politic. cap. ultim. ex Pittaci lege majori pœna ebrii darentur, si quem pulsassent, quam si sobrii fecissent: quod enim pluries delinquant ebrii, quam sobrii, non ad id respexit, quod magis esse debeat ebriis venia, sed ad utilitatem.

Patet igitur ex superius dictis, quanta mala ab immodico vino oriantur, & ideo jure merito Plato in extremis de potione sermonibus, & Aristot. lib. 1. economicorum, cap. 5. Carthaginensium legem de abstinentia à vino valde probant. Plato enim hæc dicit: Verum etiam potius Cretenisium, Lacedæmoniorumque usum Carthaginensium legem anteposuerim, ut nullus videlicet in exercitu hanc potionem gustet, sed toto illo tempore aqua potione utatur: & in civitate neque servi, neque ancille unquam, neque Principes eo anno, quo in Imperio sunt, vinum gustent. Item neque gubernatores, neque iudices, dum suo funguntur munere, vini quicquam assumant, nec quisquam de re aliqua insigni consilium initurus, nec interdum quisquam omnino, nisi aut exercendi corporis, aut tollendi morbi causa. Item neque noctu quisquam, ut vir, aut mulier, cum filios creaturi sunt. Alia quoque multa quis enumeraverit, in quibus recta mente, ac lege bene institutus à vino abstinere debet. Et hæc dicit Plato de corporibus non ægrotis, sed rectissime valentibus, in quibus epotum vinum, tanquam tyrannus quidam animæ imperat, ita ut quæ prius intelligebat, rectè amplius non intelligat; quæ prius faciebat, non rectè faciat, & idcirco ab ipso tanquam ab hoste cavendum Plato ait: Nam si semel corpus immodicè ingreditur gubernatorem impedit quominus, ut decet, navis gubernacula dirigat; milites ne in acie modeste se gerant, conturbat. Iudices, quos justos esse oportet, aberrare, & omnes Principes vitiose dominari, nihilque sani imperare cogit. † Vini igitur abstinentiam Hispani omnes, & præcipue nostri Lusitani, præsertim dum pueri & adolescentes sunt, ac mulieres, saltem donec viro copulentur, excolunt, & quod ab antiquo etiam tempore Hispani abstemii fuerint, refert ex Philiarcho Athenæus lib. 2. in hæc verba: Hispanos quamvis hominum ditissimos, aquam bibere, solos cibum capere ob parsimoniam; indui tamen sumptuosa veste. † Fœminis ignominiosum semper fuit vinum bibere, jam enim antiquorum Romanorum tempore ingenuis mulieribus vinum erat interdictum, ut refert Valer. Max. lib. 2. cap. 3. † Unde Marcellus Consul Romanus uxorem suam, eo quod vinum bibisset, fuste percussam

interemisse, & quemadmodum Plinius refert lib. 14. c. 13. inter exempla legitur † Egnatii, Mecennii uxorem, quod vinum bibisset è dolio, interfectam fuisse à marito, eumque cædis à Romulo absolutum. Et Cato, ut ibidem Plinius attestatur, asserit propterea tunc temporis ex usu fuisse, ut propinqui fœminis osculum darent, ut explorarent an temetum olerent. Plutarchus etiam in questionibus Romanis, osculandi morem eandem ob causam institutum fuisse affirmat. Et non alia certè ratione priscis illis temporibus vini usum mulieribus interdictum fuisse existimo, nisi quia vinolenta, & comestatrix mulier, si nupta fuisset, adultera; si soluta, meretrix reputabatur, idque propterea, quod ut Tiraquell. refert de legibus connubial. part. 9. l. 9. connub. glos. 1. num. 206. contra vini usum apud mulieres lex ab ipso Romulo posita fuerat in hæc verba: si vinum biberit domi, uti adulteram puniunt. Quibus verbis, inquit Tiraquellus, ostenditur † mulierem vinosam & adulteram ejusdem criminis reas esse, veluti alterum ex altero prodeat: quam legem rationi valde consonam, & justissimam fuisse testatur S. Chrysostr. qui enarrans illud Matth. 1. Cum esset desponsata Mater ejus MARIA, &c. Omnis, inquit, mulier, quæ vinolenta comestatrix est, eadem quoque meretrix est. Multa in detestationem mulieris ebriosa cumulat Gutierrez lib. 2. canon. cap. 4. num. 22. cum seqq.

Ex quibus colliges abstinentiam à vino laudabilem valde esse, tam in muliere, quam in homine, vinoque potius utendum Medici jussu, ac recuperandæ valetudinis gratiâ, quam aliam ob causam, quemadmodum factum fuisse apud Locros Epizephirios testatur Athenæus lib. 10. Deipnosoph. idque propterea quod à Seleuco Asiæ Rege sancitum fuerat, ut si quis injussu Medici, & non recuperandæ valetudinis causa merum bibisset, capite plecteretur: hic meri usus à nostro Apost. etiam indicari videtur, dum ad Timotheum scribit inquit: Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. Unde clarè patet, Timotheum in sanitate statu aqua uti consuevisse, eique propter adversam valetudinem vinum commendari, idque modicum, ad ventriculi scilicet cruditatem corrigendam, aliasque infirmitates debellandas, ita ut D. Paulus vino ut medicamento utendum senserit, aqua autem ad quotidianum potum. Quod si crebrius fiat, ad sanitatem magis conducit, quia Athenæus lib. 1. Deipnosoph. refert eos, qui † solam aquam bibunt, inveniendis rebus sagaces, ac ingeniosos esse; vinum autem nostram obumbrare prudentiam. Et propterea S. Ambrosius de Elia & jejuniis cap. 9. inquit, potentes vinum prohibentur bibere, ne cum biberint obliviscantur sapientiæ: & D. Hieronymus in comment. ad Titum, sic ait: Prohibet Paulus Episcopum esse vinolentum, ne vel sensu occupato exaltet risum contra gravitatis decorem, & labiis dissolutis cachinnet; vel si paululum tristis cujusdam rei fuerit recordatus, inter pocula in singultus prorumpat, & lacrymas. Longum est ire per singula, & insanias, quas ebrietas suggerit, explicare.

Vnde & clericos ebrietatibus incumbere propter eorum auctoritatem, magnopere prohibetur in c. fin. in fine 4. dist. & in cap. Episcopus, in cap. luxuriosa, in cap. vinolentiam, & in cap. sexto, in fine, 35. dist. & in c. à crapula, de vita, & honest. cleric. & in c. 1. ne clerici, vel Monachi, cum similibus, quæ Jura refert, & latè exornat Gutierrez. d. lib. 2. canon. c. 4. num. 48. cum seqq. Quæ autem pœna sint puniendi? Vide Bernard. in pract. cap. 77. Menoch. de arbitr. casu 404. Albert. Trot. de vero & perfecto cleric. lib. 2. cap. 59. Suar. de censur. disp. 1. sect. 2. n. 12. Et à comestationibus abstinere ei maximè commendatur Prov. 23. D. Paul. ad Rom. 13. c. 1. cap. comestationes, cap. multis, cap. non oportet 2. & cap.

cap. non liceat, 44. dist. quid erit in Episcopis, quibus excellentiora debentur, cap. 1. de privileg. qui super omnes gradus dicuntur constituti, Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 1. cap. venerabilis, de prabendis, qui non vulgari aliqua, sed eximia ac excellenti sanctitate alios sui similes efficere, ac ad temperatè in cibo, & potu se habendum inducere debet, animadvertat unufquisque, & secum præponderet.

## GLOS. XII.

Non percussorem.

## SUMMARIUM.

- 1 Episcopi percussio licita est ex charitate, & correctionis causa, ut in melius vita hominum redigatur.
- 2 Episcopus propria manu neminem debet percutere.
- 3 Clericalem Ordinem summopere dedecet, ut ea manus violenter alicui injiciantur, quæ Deo solemniter consecratae sunt.
- 4 Regimen omne, omnisque administratio auctoritate & amore continetur.
- 5 Impunitas est injuria soboles, insolentia mater, radix impudentia, & transgressionis nutritrix.
- 6 Episcopus puniens debet assimilari patri carnali, qui filium flagellat, & omnia bona sua ei servat.
- 7 In misericordia corripendum.
- 8 Episcopus debet esse benignus, & ad benefaciendum paratus.
- 9 Pastor bonus omnibus se conformare, ac in se omnium transferre affectus debet.
- 10 Petrus divina providentia labitur in peccatum, ut duriores sententiam proprii casus intuitu temperet: tum ut qui sibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum.
- 11 Pastoris tres sunt voces, suavis, dulcis, & alta.
- 12 Justitiae rigor sub justo moderamine temperandus.
- 13 Dissimulare debet Episcopus, multis connivere, & omnia sic moderari pro loco, & tempore.
- 14 Prælati à personarum acceptione cavere debent.
- 15 Prælati intueri debent, ne dum immoderatiùs custoditur virtus humilitatis, solvantur jura regiminis.
- 16 Episcopus subditis bene viventibus putet se aequalem, erga perversos verò jura relictitudinis exercere non formidet.
- 17 Prælati non severitate, sed benevolentia subditos corripere debent.
- 18 Episcopus verborum correptione, non verberibus timere debet.
- 19 Justè judicans misericordiam cum justitia servat.
- 20 Lenitas mansuetudinis sine relictitudine severitatis, & zelus relictitudinis sine mansuetudine non debet inveniri.
- 21 Mansuetudo, & districtio ab invicem non debent separari.
- 22 Comitatus, & humanitas in delictis increpandis magis attrahit, & malos ad rectam adducit viam.
- 23 Contra illos insurgit auctor, qui dum viles erant, molles, & tractabiles existebant, sed elevati ad dignitates duri, & crudeles fiunt.
- 24 Cum senibus quomodo procedendum, ostenditur.
- 25 Episcopus qualiter subditos increpare debeat? & num. 26.



**E**x charitate, & correctionis causa, ut in melius vita hominum redigatur, licita est percussio Episcopis, & omnibus habentibus auctoritatem in suos subditos, c. cum Beatus, 45. distinct. cap. ante omnia, 34. distinct. excepto

quod † Episcopus neminem propria manu debet percutere, cap. non licet, 86. distinct. & hoc propter reverentiam Sanctitatis beneficii Episcopalis, cui Sanctitas ignoscendi gloriam relinquit, l. si quis in hoc genus, C. de Episcopis, & cler. vel propter suam mansuetudinem, & humanitatem ostendendam: unde Dominus Episcopis ait Matth. 5. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

Clericalem enim ordinem summopere dedecet, ut eorum violentæ manus alicui injiciantur, quæ Deo solemniter consecratae sunt, quæ extensæ pro omnibus Numini supplicant, quæ cum summo honore tremenda corporis, & Sanguinis Christi mysteria peragunt. Percussorem Episcopum, ait S. Hier. *epist. 83. ad Oceanum, cap. 4.* ille condemnat, qui dorsum suum posuit ad flagella, & maledictus non remaledixit. Et octavus Canon, qui Apostolorum est, hunc in modum habet: *Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum percutientem fideles delinquentes, aut infideles iniqua agentes, & per hujusmodi violentiam timeri, abjici ab officio suo precipimus: quia nunquam nos docuit hoc Dominus, sed è contrario ipse cum percuteretur, non repercutiebat, cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur.* Unde vocem hanc Chrysostr. Theodor. & Hieron. *ad Titum 1.* non ad manus violentiam, sed ad linguæ acerbiteriam referunt, ut Episcopus nemini maledicat, nec sit sævus, & improbus objurgator, nec denique convitiis perdat, quos poterat modestia, & lenitate corrigere.

Cum omne regimen, omnisque administratio auctoritate, & amore contineatur,

*Oderunt peccare mali formidine pœne:*

*Oderunt peccare boni virtutis amore.*

In manus novi Antistitis consecrati Baculus traditur, auctoritatis scilicet, & disciplinæ insigne, sustentaculum imbecillitatis humanæ, ut sit in coercendis vitiis piè sæviens, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deferens, ut revocet errantes, tegat justos, pungat, & stimulet ignaros, & inertes repellat nocentes, ac juxta *Ezech. 34.* attrahat vagum, sustentet languidum, stimulet pigrum, portet in humeris suis exemplo Principis Apostolorum, ægrum, & debilem: *Ut increduli,* inquit Bernard. *lib. 3. de considerat. convertantur ad Fidem, conversi non averiantur, perversi ordinentur ad relictitudinem, subversi ad veritatem revocentur, subversores convincantur, ut vel emendentur ipsi, si fieri potest, vel si non, periant auctoritatem, facultatemque alios subvertendi.* † Impunitas enim, inquit idem Bernard. *ubi proxime,* incuriæ soboles, insolentia mater, radix impudentia, transgressionis nutritrix, matrix noxæ, libertatis pessima soboles hæc. Nam, ut dicit Senec. *in Troad. act. 9. qui non vetat peccare, cum possit, jubet.* Et D. Bernard. *in serm. de S. Joan. Bapt. silere, cum arguere possis, est consentire.* Et Philo Hebr. *contra Flav. Qui castigare, aut saltem cohibere cum possit, non cohibet, palam est, eum permittere, penè mandare.*

Tenetur igitur ex officii debito Prælati delicta, & errores corrigere subditorum, juxta Apostol. *Peccantem coram omnibus argue.* Et alibi: *Auferite malum de medio vestri,* corrigendo scilicet, & puniendo. Ad hoc enim Prælati majores, & minores sunt à Domino instituti, ut evellant, ac destruant, malos corrigendo; ædificent, & plantent bonos instruendo. Prælati siquidem ad instar Medici, qui ex dilectione sanandi phreneticos ligat, & lethargicos excitat, cum charitate errores debet corrigere subditorum. Debet siquidem vagas errantium mentes sub disciplina debite coercere censuræ, & sibi subditos unire in vinculo charitatis. In veteri quidem testamento præcipiebatur agnus Paschalis comedi in una domo, ut in habitantibus consonantia morum, & affectuum identitas notaretur,

raretur. Ad hoc Reverendissimi Patres sunt instituti Pastores, ut oves pascant, fractos alligent, & reducant ad propria dissolutos, & contra malos se clypeum & murum defensionis opponant, & adversitatis tempore contra potentes pro debilibus se promptos, & sine pretio constituant advocatos.

6 *Episcopus pascens, ut ait Gregor. epistol. 16. lib. 12. ad Abbatem montis Sinai, debet assimilari patri carnali, qui filium flagellat, & tamen ei omnia bona sua servat, & eum heredem habere desiderat. His ergo, quos affligimus, dulcedinem charitatis in mente servare debemus. Verbum dulce, dicitur Eccles. 6. multiplicat amicos, & mitigat inimicos, lingua gratiosa in bono homine abundat. Plus erga corrigendos, docet S. Leo epist. 84. agit benevolentia, quam severitas, plus exhortatio, quam comminatio, plus charitas, quam potestas: ex quo dicit glos. in cap. 3. 7 86. dist. † justas in misericordia corripiat, & arguat, quia non verbis asperis sunt homines procurandi, cap. qui sincera, 4. dist. & sanguinem elicit, qui nimis emungit, cap. nisi cum pridem, de renunt. glos. verb. salubriter, in extravag. si fratrum, §. quia igitur, ne sede vacante, Joan. XXI. & dixit notanter Phil. Corn. conf. 296. circa primum, 4. vol. quod qui impedit misericordiam, dicitur negare Christum: proprium est misericordis dare lacrymas alienis calamitatibus, nam ipse Christus videns miseras humanæ naturæ propter peccatum, lacrymatus est, Joan. cap. 11. Inde Stoici dixerunt misericordiam esse ægritudinem ex miseria alterius.*

8 Debet igitur Prælati esse benignus, & ad benefaciendum paratus, dulcis eloquio, qui cunctos sciat sua attingere dulcedine; nam Princeps Apostolorum ad Clementem de universis Episcopis, inquit: *Ecclesiarum omnium curam habentes, misericordes, & benevoli estote in omni verbo, & opere: pro viribus agite, omnisque Pontifex sacro Chrismate perunctus, charus, & pretiosus omnibus esse debet; hæc est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Unde Apostol. ad Titum cap. 1. inter Episcopi conditiones hanc numerat: *Non praefractum* (ubi nos habemus, non superbum) id est, non durum, & sui sensus plus satis tenacem. Item ad Philip. 4. ubi dicit: *Modestia vestra sit nota omnibus hominibus,* Græcè habetur, τὸ ἐπιεικὲς, mansuetudo, & significat hanc quandam virtutem mirabilem, qua homo redditur habilis ad Christianè cum omnibus conversandum; ac etiam amabilitatem, & quandam promptitudinem, qua homo paratus est omnibus omnium moribus se accommodare, neminem fastidire, omnibus benefacere, libenter cedere, & quæcunque potest sine offensione Dei ferre, & permittere etiam cum jactura sua, sive rerum suarum: hoc enim est non querere quæ sua sunt, sed quæ aliorum; nulli onerosus, aut odiosus esse, sed æquus, & commodus; hoc est quod ad Romanos 12. dicitur: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Et 1. ad Corinth. 10. *Sine offensione estote Judæis.* Et 2. ad eosdem 4. *commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum,* id est, & faciamus, quibus omnes homines (si conscientiam velint testari) non possint non commendare, & probare, nec aliquid habeant in quo nos merito accusare possint. *Charitas,* inquit Bernardus, *patiens est, benigna est: patiens est, cum dissimulat, spectat, sustinet delinquentem: benigna est quando trahit, adducit, & converti facit ab errore. Charitas benigna etiam, quos tolerat, amat, & amat ardentem. Flet quippe charitas, sed ex amore, non ex mœnore: flet ex desiderio, flet cum stentibus. O bona mater charitas, qua sive foveat infirmos, sive exerceat proventus, sive arguat inquietos, diversis diversa exhibens, sicut filios diligit universos. Cum te arguit, mitis est, cum tibi blanditur, simplex est, pie solet scire, sine dolo mulcere, patienter non irasci, humiliter indignari, læsa non provocat, spreta*

*revocat. Pondera quod de Domino dicitur Esai 42. Non erit tristis, neque turbulentus: calaminum quassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet.* Et idem Bernard. serm. 23. super Cantic. † Pastor, ait, bonus omnibus se conformat, omnium in se transfert affectus; matrem se probat non minus deficientium, quam proficientium. Et D. Gregor. in Pastor. part. 2. c. 6. dicit, quod Pastor bonus æqualem se cernat; peccantibus autem zelo ultionis se anteferat, imitans Pastorum Principem Petrum, cui cum bonus Cornelius se posterneret, dixit: † Surge, ne feceris, & ego ipse homo sum. Divina igitur providentia permisit, ut primus ipse Petrus laberetur, ac rueret in peccatum, quo ipse peccans durior sententiam proprii casus intuitu temperaret, ut dicit S. Ambros. in serm. de temp. 124. in serm. 2. de Cathedra B. Petri, qui est 16. de Sanctis, in hæc verba: *Tanquam bonus Pastor tuendum gregem accepit, ut qui sibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, & quia ipse interrogationis tentatione negaverat, ceteros fidei stabilitate fundaret.* Scite S. Max. homil. 3. de penitentia Petri. *Ecce nihil nobis Apostolus nocuit quod negavit, & plurimum profuit quod emendavit.* Lapsus nos rectè monuit ne laberemur: penitens lapsos ad penitentiam provocavit. Cadi & labi permittitur Petrus, quod populorum multitudo illi credenda erat, ne severus, & a venia propriis fratribus impartienda alienus esset, ut ait S. Chrysostomus homilia in SS. Petrum, & Eliam: si innocens fuisset, nimium in nocentes læviisset. S. Petrus Damianus serm. 27. de sanctis Apostolis Petro & Paulo, ita rem expendit. *Quid est quod sic labuntur qui proficiuntur Ecclesie? Sapientia suaviter disponens omnia hæc ideo fecit, ut in seipsis prædicti Principes discerent qualiter aliis misereri deberent, &c.* Franc. Abbas serm. 12. de gratia Dei, ita scribit: *In Petri momentaneo lapsu pius Pastor gregi suo pie consuluit, ut humana præsumptio labente Petro trepidet, & imbecillitas prolapsa resurgente Petro non desperet.*

Pastor erit fistula dulcè canens, & baculo firmiore imbecillitates infirmorum firmiter sustinens, & non sibi placens; etenim Christus non sibi placuit. Episcopus erit ejusmodi moderationis erga subditos, ut aridens timeri debeat, & iratus amari: ut illum nec nimia lætitia vilem reddat, aut immoderata severitas odiosum. Tres sunt Pastoris voces, suavis, dulcis, & alta: suavis ad infirmum, dulcis ad morientem, ad surdum pertinet alta. In Episcopali cervice nihil splendidius fulget humilitate, patientia, & benignitate: sciunt boni, ac veri Prælati discipulorum se matres esse debere, non dominos; ideo student magis amari, quam metui, & si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica: matres fovendo, patres exhibent sese corripiendo. † Melius est propter misericordiam dare rationem, quam propter crudelitatem frangere penitentem. *Beati misericordes,* inquit Salvator Mat. 5. *quoniam misericordiam consequentur.* Et è contra: *Judicium sine misericordia,* inquit Jacobus, *ei qui non facit misericordiam.* Sæpe subditos frangunt, dum plus justo rigorem tenent, qui profecto jam rigor justitiæ non erit, si se sub justo moderamine non custodit. Nescientes autem vim discretionis per rabiem furoris disciplinæ modum ad immanitatem crudelitatis convertunt: & unde emendare subditos possunt, inde potius vulnerant. Episcopus itaque miscebit bonitatem severitati, faciendo quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Hoc enim verò illa Tabernaculi arca significabat, in qua cum Tabulis virga simul & manna erant: quia scilicet cum Scripturæ sacræ scientia & disciplina in pectore boni Rectoris custoditur & virga directionis, & manna dulcedinis, juxta illud Psalm. *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt;* virga enim percussimur, & baculo sustentamur. Moyses idcirco sic amavit eos, quibus præ-

fuit, ut pro eis nec parceret: & delinquentes sic persequutus est, quos amavit, ut eos etiam Domino parcere prosterneret: utrobique legatus fortis, utrobique mediator admirabilis: causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum gaudiis allegavit. Hæc sunt quæ Pastori conveniunt, bonitas, disciplina, scientia. Bonitas trahit, disciplina corripit, scientia pacit. Bonitas amabilem, disciplina imitabilem, scientia docilem reddit. Episcopo & ista conveniunt; amor, sed non emolliens; rigor, sed non exasperans; zelus, at non immoderatus; pietas, verum non plusquam conveniat, indulgens. Hinc D. Bernard. *in serm. 23. in Cantic. edisserens verba Psal. 2. Erudimini, qui judicatis terram,* ait: *Audiam hoc Prælati, qui sibi commissis semper volunt esse formidini, utilitati raro: discite subditorum vos matres esse debere, non dominos; studete magis amari, quam metui, & si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica, matres fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis, mansuescite, ponite feritatem, suspendite verbera, producite ubera, pectora lacte pinguescant, non typho turgeant.*

Multa tamen dissimulare debet Episcopus, multis connivere, & omnia sic moderari pro loco, & tempore, ut charitas, & pax illibata servetur. Hinc illud Terent. *Heautont. act. 4. scen. 5.*

13 *Ius summum sæpe summa iniustitia est.*

Et illud Sap. *Noli esse nimium justus, ne plus sapias, quam oportet.* Si Deus jus suum rigide exequeretur, quis hominum viveret? & David sæpe omisit facere, quæ optimo jure potuisset in Saulum, Joab, & alios. Summis ergo precibus & lacrymis æquitas hæc, humanitas, & facilitas petenda est à Domino, quam nemo habet, nisi charitatem habeat cum prudentia conjunctam. Fredericus III. solebat dicere: *Qui nescit dissimulare, nescit temperare.* † Cavete tamen omnes à personarum acceptione, Prælati præcipue: in veste enim hyacinthina Summi Sacerdotis, qua in Sancta Sanctorum ingrediebatur, in extremitate tintinnabula cum malis puniceis intentis posita erant, ad significandum, quod quemadmodum campana æqualiter omnes vocat, ita Prælati æqualiter ad omnes se habeat: mala granata etiam, in quibus multa grana sub uno exteriori cortice uniuntur, unitatem significant fidelium: significatur ergo, ut innuere videtur S. Greg. quod Prælati quærere unitatem subditorum debet, & charitatem in eis nutrire, non scandalorum materiam seminare.

14 *Solerter tamen, ait Gregor. in Pastor. cap. 6. part. 2. intueri debet Prælati, ne dum immoderatus custoditur virtus humilitatis, solvantur jura regiminis, & dum Prælati quisque plus se, quam decet, dejicit, subditorum vitam stringere sub vinculo disciplinæ non possit. Teneant ergo Rectores exteriori, quod pro aliorum utilitate suscipiunt: servant interiori, quod de sua æstimatione pertimescunt. Sed tamen quibusdam signis decenter erumpentibus, eos apud se esse humiles, etiam subditi deprehendant, quatenus & in autoritate eorum, quod formident, videant, & in humilitate quod imitentur, agnoscant. Cum autem, inquit ibidem, rector delinquentem punire compellitur, sollicitè observare debet, ut sic jura disciplinæ contra delinquentes exercent, ut pietatis viscera non amittat: simul enim se exhibere debet & matrem pietatis, & patrem disciplinæ: atque inter hæc sollicita circumspeditione providendum, ne aut districtio sit rigida, aut pietas remissa, nam disciplina & misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Insit ergo Receptor circa subditos, & justè consolans misericordia, & piè sæviens disciplina, infundat vulneribus vinum, & oleum, ut scilicet per vinum mordeantur vulnera, & per oleum foveantur. Ille igitur, qui sanandis vulneribus præficatur, in vino morsum doloris adhibeat, & in oleo molliciem pietatis: quatenus per vinum mundentur putri-*

15 *da, & per oleum foveantur sananda. Miscenda ego lenitas cum severitate, & faciendum quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate excludantur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Unde sicut in arca Testamenti erat simul virga, & manna, sic adsit in pectore pastoris rigor, & dulcedo.*

16 *Providendum igitur monet idem Gregor. ubi proxime, quatenus & honore suppresso æquales nos subditis bene viventibus putemus, & erga perverfos jura rectitudinis exercere non formidemus: nec præesse nos hominibus gaudeamus, sed prodesse. Summus enim locus ita bene regitur, cum is qui præest, vitiis potius, quam hominibus dominatur: ita tamen ut in corde servetur humilitas, & in opere disciplina, ut eos, quos corrigimus, tacita nonnunquam cogitatione nobis ipsis præferamus: sic jura disciplinæ exercentur contra delinquentes, ut pietatis viscera non amittantur: sit amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderate sæviens; sit pietas, sed non plusquam expedit parcens, ut in arce regiminis justitia clementiæ permisceatur: nam secta immature vulnera deterius infervescunt, & nisi cum tempore medicamenta conveniant, constat quod mendendi officium amittunt, ut non de subditis crescamus, sed ipsi de nobis: Principem se constituerunt, sed sibi, non tibi.*

17 *Unde Greg. lib. 1. epist. 15. relatus in c. qui sincera, 45. dist. Qui sincera intentione extraneos à Christiana religione ad finem cupiunt rectum perducere, blandimentis, non asperitatibus debent studere, ne quorum mentem reddita ad planum ratio poterat revocare, pellat procul adversitas. Nam quicumque aliter agunt, & eos sub hoc velamine à consueta ritus sui volunt cultura suspendere, suas illi magis, quam Dei causas probantur attendere. Et in cap. licet, 45. dist. Licet plerumque accidant in Sacerdotibus, qua sunt reprehendenda, plus tamen erga corrigendos agat benevolentia, quam severitas; plus cohortatio, quam comminatio; plus charitas, quam potestas, cum nemo nostrum sine reprehensione, aut sine peccato vivat: nam si Dominus statim post trinam negationem Beatum Petrum Apostolum Præceptorem nostrum judicasset, non tantum ex eo fructum, sicut fecit, recepisset; expectandi ergo, atque corrigendi magis sunt Rectores Ecclesie, quam statim judicandi.*

18 *Idem lib. 2. epist. 52. relatus in cap. quid autem, 45. distinct. sic ait: Quid autem de Episcopis, qui verberibus timeri volunt, canones dicant, bene fraternitas vestra novit. Pastores etenim facti sumus, non percussores: & egregius Predicator dicit 2. ad Timoth. 4. Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina: nova vero, atque inaudita est ista prædicatio, qua verberibus exigit fidem.*

19 *Hinc Isidor. lib. 3. sentent. de summo bono, cap. 45. relatus in cap. omnis, 45. dist. ita ait: Omnis qui justè judicat, stateram in manu gestat, & in utroque penso justitiam, & misericordiam portat; sed per justitiam reddit peccanti sententiam, per misericordiam peccanti temperat pœnam, ut justo libramine quadam per æquitatem corrigat, quadam vero per misericordiam indulgeat. Qui Dei judicia oculis suis proponit, semper timens, & tremens, in omni negotio formidat, ne de justitia tramite devians cadat, & unde non justificatur, inde potius condemnatur.*

20 *Ex his omnibus apparet, quod nec lenitas mansuetudinis sine rectitudine severitatis, nec zelus rectitudinis sine mansuetudine in Prælati debet inveniri. Percussores ergo, qui præmissis autoritatibus ab Episcopali officio removentur, non quilibet corporaliter flagellantes, sed prætermissa mansuetudine ad verbera semper parati intelligendi sunt, qui flagella, non vitia corrigere, sed timeri appetunt, quibus Petrus scribit: Ne sitis dominantes in clero, sed formam facti gregis ex animo. Hinc etiam Gregor. in moral. lib. 19.*

21



21 *lib. 19. p. 4. c. 23. relatus in c. sunt, 45. dist. ita scribit: Sum namque nonnulli ita districti, ut omnem viam mansuetudinem, & benignitatem amittant, & sunt nonnulli ita mansueti, ut perdam districti jura regiminis. Unde cunctis Rectoribus utraque summopere sunt timenda, ut nec in disciplina vigore benignitatem mansuetudinis, nec rursus in mansuetudine districtionem deserant disciplina, quatenus nec à compassione pietatis obdurescant, cum contumaces corrigunt: nec disciplina vigorem molliant, cum infirmorum animos consolantur. Regat ergo disciplina vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem, & sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.*

In increpandis delictis non superbia, non severitas vindicat sibi locum; sed comitas, & humanitas potius attrahit, & malos ad rectam adducit viam, ita admonente S. Gregor. Nyssën. Morum gravitas, atque majestas cum moderata animi demissione conjuncta non avertat oculos intuentium, sed jucundum faciat obtutum. Neque gravitatis, & severitatis splendor obscuratur, neque latens in animo vis propter humilitatem despiciatur, sed alterum æqualiter in utroque, tum in celsitudine, & sublimitate comitas & humanitas, tum in humilitate gravitas, & severitas animadvertatur. Et dicit Cicer. 1. offic. Recte præcipere qui monent, ut quantum superiores sumus, tanto nos submissius geramus, nam juxta illud Poëtæ Græci,

22 *Quantò major fueris, tantò moderatior esto.*

Mitis Moyses fuit, ut in mititatis exemplum nobis proponatur: eamus post eum, qui tam insigni mansuetudine nobis præluxit. Præclare S. Gregor. homil. 15. in Ezechiel. Mansuetudinem obtinere querimus? Moysen ante oculos deducant, qui exceptis parvulis, ac mulieribus, sexcenta millia armatorum regens mitis fuisse describitur super omnes homines, qui habitabant super faciem orbis terræ. Scitè Oleaster noster in 12. Numeror. ubi expendens Moysis in ferendis contumeliis, & Aaronis, Mariæque detractionibus fortitudinem, ait: Docet hic sanctus Moyses pulchrè Prælatos murmura dissimulare, injurias in faciem perpeti, neque ipsa curare, ac si non in se dicta fuissent: neque mireris talem Moysen, quoniam cum eo conversabatur, qui omnia hæc, & multo deteriora æquo animo noverat tolerare, nempe cum Deo. Mansuetudinis laudes scitè congererat S. Joan. Climacus gradu 24. in hæc verba: Mansuetudo est prominens adversus iram maris rupes, quæ omnes illius fluctus dissolvit, ac frangit, nec ipsa interim movetur, aut frangitur. Mansuetudo est stabilimentum patientiæ, charitatis janua, imò verò parens, prudentiæ argumentum; docebit enim, inquit Dominus, mites vias suas: procuratrix veniæ peccatorum, fiducia in precibus, Spiritus sancti domicilium: super quos enim respicias, nisi super mansuetum, & quietum? Mansuetudo est adjutrix obedientiæ, dux religiöse societatis, furentium frenum, irascentium expultrix, magistra gaudii, imitatrix Christi, cælitum proprietas, vinculum & nodus demonum, scutum adversus amaritudinem, seu animi acerbitatem. In cordibus mansuetorum requiescit Dominus, anima autem turbulenti nidus est diaboli.

23 Quidam verò sunt, qui dum privati erant, immanitatem, & superbiam cooperiebant, qua uti non solebant: eam cum ad dominatum ascendunt, in medium proferunt; nam ut carbones candentes sub cinere in fabri ferrarii officina extincti videntur, at flantibus foliis, ignemque excitantibus exardescunt, micant, & urunt: sic superbia, quæ extincta in vita privata videbatur, flatu domini, imperiique potestate crudeles emittit flammæ: similes sunt isti, dum in profundo sunt, & viles, molles, & tractabiles existunt: sed elevati ad dignitates, duri, & crudeles fiunt. Alii etiam eo sunt ingenio præditi, ut in iis

*Aug. Barbosa de Episcop. Pars Ii*

etiam, quæ ritè faciunt, non modò teneri, sed & acerbi & sint, & videri velint. Ut Bucephalus Alexandri Magni equus, cum esset phaleris, & ornamentis destitutus, equisonem interdum admittibat; instratus verò Regio ornatus, neminem præter unum Alexandrum in sedem recipiebat, auctore Plinio lib. 8. Sic muti inopia laborantes, & in abjecto jacentes status, quamvis observantiam, & benignitatem in omnes fingant, intus Nerones, foris Catones, multis simulationum involucris tegunt odium, malitiam, crudelitatemque. At divites facti, & in mundi honoribus constituti, omnes præter unum, cui lege principatus sunt subiecti, despiciunt, tunc occultam detegunt voluntatem, & multiplicem naturam, superbiam, atque immanitatem, naturam quam specie submissionis prius operuerunt, apertissime demonstrant, quos tamen Deus dejicere solet, dicente Propheta Psal. 72. Dejecisti, &c.

Cum senibus cautè ambulandum, nam ut dicit Ambrosius, propter honorificentiam ætatis majorem, cum mansuetudine ad bonum opus provocandum, ut facilius suscipiat admonitionem. Asperum enim est senibus cum corripiuntur à junioribus. Et Chrysost. in epist. 1. ad Tit. Grave quoddam, & molestum est argui, itaque tum maxime, cum senex arguitur, atque ab adolescente. Cum illis tamen nullo modo dissimulandum, quia, ut inquit Gregor. in regist. Sicut laudabile, decerantque est reverentiam & honorem debitum exhibere majoribus; ita relictudinis, & Dei timoris est, si quid in eis correctione indiget, nulla dissimulatione postponere, ne totum corpus incipiat morbus invadere, si languor non fuerit curatus in capite.

Argue, obsecra, increpa, dicit noster Apost. 2. ad Timoth. 2. aliquando cum omni imperio, idem ad Tit. 2. interdum ob benevolentiam, & in spiritu lenitatis, ad Galat. 5. tanquam si nutrix soveat filium suum, 1. Thess. 1. In omni patientia, & doctrina, 2. Timor. 4. Nam, ut inquit Chrysost. si arguas vehementer, & increpes, & obsecrationem subducas, rursus omnia perdis; & dat rationem, quia reprehensio per se intolerabilis est, nisi habeat admixtam obsecrationem, sicut scilicet, salutaris licet sit, nisi plurima dolorem consolentur, non eam sustinet languidus. Unde S. Prosper de vita contempl. lib. 2. c. 5. Asperitate autem nimia, & increpatione offensus, neque increpationem recipit, neque salutem. Et paulò post: Argue æquales, obsecra seniores, increpa juniore in omni patientia, juxta Apostolum, quia leniter castigatus exhibet reverentiam castiganti. Qui delinquentem superbo, vel odio animo corrigit, dicit Isidor. lib. 3. de summo bono, c. 92. non emendat, sed percutit, & objurgantis furor est, non dilectio corrigentis: & quicquid lacerato animo dixeris, patientis est impetus, non charitas corrigentis. Vos, o Prælati, ait S. Anselm. in comment. epist. ad Galat. cap. 7. instruite leniter subditum, si deliquerit, & vos subditi portate alter onera alterius, verbi gratia iram fratris tunc portabis, cum adversus eum iratum non irasceris, ut rursus eo tempore, quo te ira præoccupaverit, ille te lenitate & tranquillitate supportet. Ita diversis temporibus eadem infirmitas potest invicem ab utroque portari.

Piè, cautèque vigilandum est, ut cum aliquem reprehendere, vel objurgare nos necessitas cogit, cogitemus utrum tale sit vitium, quod nunquam habuimus, vel quo jam caruimus: si autem cogitantes nosmetipsos invenerimus in eodem nos esse vitio, in quo est ille, quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque objurgemus, sed tantum congemiscamus, & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cavendum invitemus. Nihil est minus ferendum, quam rationem ab altero vitæ reposcere eum, qui non possit suæ reddere. Unde S. August. in Psal. 50. ita dicit: Et ille justus reprehensor

reprehensor est, qui non habet in se quod in illo reprehendatur. Improbiorum est, dicit Isidor. lib. 3. de summo bono, c. 32. arguere quicumque in alio, quod adhuc in seipso reprehendit. Et docet S. Ambros. de Sacerdot. Peccantes libere potest arguere, qui non meretur audire, hypocrita eijce primum irabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. Et S. Augustin. lib. 50. homil. hom. 5. Corrige te, & tunc poteris fratrem corripere.

## GLOS. XIII.

Sed modestum.

## SUMMARIUM.

- 1 Modestia quid sit, ostenditur, & unde dicatur.
- 2 Modestia in gravitate sita est.
- 3 Modestia gubernatrix, ac moderatrix est omnis gestus, ac motus corporis.
- 4 Ambulare quomodo debeamus, ostenditur.
- 5 Modestiae regule praescribuntur.
- 6 Risu gravitatis nervi eliduntur.
- 7 Modestia in humilitate crescit.
- 8 Humilitas sola est officii sacerdotalis erectio.
- 9 Humilitas est custos pudicitiae, & mater patientiae, ac virtutum bonum quoddam, & stabile fundamentum.
- 10 Humilitas tantissimus est omnium virtutum thesaurus.



**M**ODESTIA est virtus quae internas animi passiones, & externas actiones serias, & ludicras, sermonem, risum, lusum, motus item, & gestus corporis, atque hujus cultum, vestitumque, ac totum exterius hominem honeste ac decenter componit, & moderatur. Unde dicit Tullius lib. 1. offic. Modestia, quo in verbo modus inest. Et S. Ambros. lib. 1. offic. c. 18. Modestiam a verbo sciendi quid doceret appellatam arbitror. Vult Apostolus Episcopum esse modestum, quia ut est apud Salomon. Proverb. 22. Finis modestiae timor Domini, divitiarum, & gloriae, & vita. Hoc ut omnibus pateat, admonet idem Apost. ad Philip. 4. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, quae alios ad Christianismum capeffendum, ipsamque imitandam modestiam invitetis. Et ad Collossen. 3. Induite vos modestiam, ut instar vestis vos cingat, & tegat, ne quicumque in vobis immodestia ternaetur, quia ut ait S. Gregor. Nazianz. epist. 139. † Modestia in gravitate sita est.

2 Gestus igitur omnis, ac motus corporis eadem modestia gubernatrix, ac moderatrix est: qua in te ait Cicero lib. 1. offic. duo sunt maxime fugienda, ne quid effeminatum, aut molle, aut ne quid durum, & rusticum sit. Cavendum etiam in gressu, ne aut tarditatibus utamur mollioribus, aut in festinatione nimia suscipiamus tarditates. Et S. Ambros. lib. 1. Offic. c. 18. monet † ne sensim ambulando imitemur histrionicos gestus, aut statuarum motus nutantium, aut gradum transferendo, quasi modulos quosdam servemus. Nec cursim ambulemus, nisi cum ea causa exigit alicujus periculi, vel justa necessitas. Est enim in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia. Et capite decimono. Ut molliculum, & infractum, aut vocis sonum, aut gestum corporis non probo, neque agrestem, ac rusticum. Naturam imitemur. Ejus effigies formula disciplinae, forma honestatis est. Sanctus Basilus epistola 1. Incessus est nec segnis, ne animum dissolutum declaret, nec cursus vehemens, insolenterque incitatus, ne consternatos impetus animi significet. Et Sanctus Augustinus reg. 3. In omnibus motibus

vestris nihil fiat, quod cujusquam offendant aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. † Regulae denique modestiae haec praescribi possunt, ut caput rectum, oculi demissi, manus quietae teneantur. Vitetur corrugatio frontis, labiorum compressio, vel diductio, incessus festinatio: sit serenitas, & hilaritas in vultu, munditia, & decens compositio in vestibus, in sermone pauciloquium, sales sine dente, joci sine vilitate, vox sine clamore, verborum suavitas, ac in gestu, & motu exemplar virtutis.

Risu gravitatis nervi eliduntur; ille namque, ut docet Sapiens, in ore stultorum abundat. Et Ecclesiast. 7. Cor stultorum, ubi latitia, & 21. Fatuus in risu exaltat vocem suam, vir autem sapiens vix tacite ridebit. Et Proverb. cap. 2. Risum reputavi errorem. Et cap. 7. feni sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stultorum. Pessimum signum tunc est, cum quis nulla adveniente causa summe letatur, atque ridet: tunc enim nave maximam expectant tempestatem, cum sine ventorum flatu mare despumat, ac stridet, tacitum prius, & quietum. Hinc Plato in lib. de regim. affirmat in risu maximum inesse signum, tum gravitatis, tum levitatis. Cui enim exigua vis risum commovet vehementiorem, declarat se esse inconstantis animi, nec considerare causas tristitiae quas miserrimus hominum status secum trahit, quas quia sapiens meditatur, hic non nonnisi raro, & modice ridet.

Modestia item in humilitate crescit: unde Ecclesiae Praefidas quanto honoratior, tanto modestior, & submissior esse debent, ut eos monet Scriptura, Eccles. 3. quanto magnus es humilia te in omnibus; & Christus Dominus Luca 22. Qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui praecellor est, sicut ministrator. Optime S. Basilus serm. de abdicatione rerum. Non tibi Cleri gradus ullas, ait, animos in altum extollat, humiliet potius: animi enim in virtute progressus, in humilitate profectus est; contraque in postremis relinqui, & inhonoratum esse, id non aliunde, quam elatione progignitur. Quanto ad majores Sacerdotii gradus accedere tibi propinquius contigerit, eo animos tuos magis demittito, idque certius exemplo filiorum Aaron, Num. 10. Nec minus bene S. Greg. lib. 2. epist. 54. ad Joan. Ravennatem Episcopum. † Sola, inquit, humilitas, ut bene nostis, est officii Sacerdotalis erectio. Decorari pallio volumus, forsitan moribus indecori, dum nihil in Episcopali cervice splendidius fulget, quam humilitas. Nam, ut inquit S. Bernard. de ordine vitae, † humilitas est custos pudicitiae, & mater patientiae; & in fine lib. 5. de consider. Virtutum bonum quoddam, & stabile fundamentum humilitas. Et serm. 1. de Nativitate, † Studete, inquit, humilitati, quae fundamentum est, custosque virtutum, & graciosus omnibus, & jucundus, & perpetua pacis socius nullam bellorum habet materiam; quippe tacitus omnia aequo animo profert, & incredibili in omnes pace vivit. Hinc S. August. serm. 173. de tempore, qui est secundus de Domini Ascensione. Videte fratres, ait, magnum miraculum. Altus est Deus, erigit te, & fugit a te: humiliat te, & descendit ad te. Quare hoc? quia excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta de longe cognoscit. Psalm. 137. humilia de proximo aspicit, ut attollat: alta, id est, superba, de longe cognoscit, ut deprimat. Divum Augustinum sectatus B. Greg. part. 1. Pastoralis, admon. 10. Dum se, inquit, humiles dejiciunt, ad Dei similitudinem ascendunt. Quid humilitate sublimius, quae dum se in ima deprimat, auctori suo manenti super omnia conjungitur? Sternit daemones, qui se dejecit: certe Job cum in sterquilinio sedit, tentandi artem in daemone cassam reddidit, ut nihil aliud contra illum valeret, rem his verbis expendit S. Paulin. epist. 10. ad Sulpitium Severum: Postquam Job sedit in stercore, tantari destitit, consumpsit tentatoris invidiam humilitate perfecta, quae facilius surgere, quam dejici potest, quia in fimo sedens, unde cadat non habet, & habet unde

unde consurgat per eum, qui suscitatur de terra inopem, & de stercore erigit pauperem. Apud Deum evchitur qui se demittit, & ferè super homines effertur, qui infra homines se levat; istud accidit Abrahamo dum pulverem, cineremque se vocavit, quod expèdebat S. Basilius Seleucia Episcopus orat. 28. ubi humilitatem laudans, ait: *Quando Abraham suo illud sermone prætexit, sum pulvis, & cinis, tunc natura agnitione, natura terminos est merito supergressus.* Denique cæterarum virtutum decus, & ornamentum humilitas est, idem dicta orat. 28. ita dicit. *Alius mansuetudinem amat, & in sacris litteris in admiratione est: alius zelo cœlesti obarmatur, & Deum laudatorem sibi comparat. Verum etsi plures soliti congruant modi, tamen omnibus humilitatis ornamentum convenit, ea comite continentia in admiratione est, & fides fit amabilior, & justitia purgator, & verior misericordia fructus.*

GLOS. XIV.

Non litigiosum.

SUMMARIUM.

- 1 Lites ab Ecclesiasticis vitanda.
- 2 Chilonis tria præcepta referuntur.
- 3 Mala plura ex litibus oriuntur.

**A**JURGIO, & litigio Episcopum nedum, sed omnes etiam Ecclesiasticos temperandos esse, multis in locis Apostolus noster admonet, prout 2. ad Timoth. 2. *Stultas, & sine disciplina questiones evita, sciens quia generant lites.* Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Et ad Titum 3. *Stultas autem questiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis evita.* Et 1. ad Corinth. 11. *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Sanè Apostolus censuit potius injuriam patiendam, quàm jure contendendum, præsertim cum sinistra opinione, 1. ad Corint. 6. *doctus utique à Christo Matt. 5. Ei, inquit, qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Quod aded verum est, ut neque Gentiles fugerit. † Chilonis tria præcepta aureis litteris Delphis consecrata fuere. Primum: *Nosce te ipsum.* Secundum, *Ne nimium cupias.* Tertium: *Aris alieni, atque litis miseriam fac ut effugias.*

3 Plura enim sunt mala, quæ ex litibus oriuntur, earumque provocatores mali, superbi, & arrogantes censentur: nam, ut ait Salomon Proverb. 11. *Inter superbos semper sunt jurgia.* Et c. 15. *vir iracundus provocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas.* Et c. 17. *Semper jurgia quarit malus.* Et c. 20. *Honor est homini, qui separat se à contentionibus, omnes autem stulti miscentur contumeliis.* Unde Ecclesiast. c. 28. *Abstine te à lite, & minues peccata.* Et S. August. tom. 1. reg. 37. & epist. 109. *Lites, inquit, aut nullas habeatis, aut quamcelerrimè finiatis, ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam.* Cætera quæ ad hoc propositum conducere possunt, tradidi in hoc tract. de offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 79.

GLOS. XV.

Non cupidum.

SUMMARIUM.

- 1 Cupiditas qualiter dicatur, ostenditur.
- 2 Episcopi, & omnes Clerici perversam habendi voluntatem, Aug. Barbosa de Episcop. Pars I.

tatem, & amorem fugere, & execrari debent.

- 3 Avarus non solum est qui rapit aliena, sed & ille, qui cupidè servat sua.
- 4 Avaritia omnium malorum radix.
- 5 Superbia omnium scelerum procreatrix ex nimia pecunia aviditate, & copia nascitur.
- 6 Beneficiorum multitudine se onerantes, cupiditatis, & avaritiæ barathro merguntur.
- 7 Dispensatio quando excusabilis, laudabilis, & fidelis dicatur? ostenditur.
- 8 Sacerdotium nec implicari errore, nec cupiditate violari oportet.
- 9 Cupiditatem qui à se non abscindit, bonorum auctori inharere non valet.



**O**PORTET quoque Episcopum non esse cupidum, quia tales facile à justo deviant. Gratian. in princ. 43. dist. Secundum quosdam cupiditas dicitur tripliciter, quandoque pro avaritia, secundum quod est speciale peccatum, scilicet inordinatus amor habendi divitias: quandoque prout est genus omnium peccatorum, secundum quod importat inordinatum appetitum rei temporalis, & hoc includitur in omni peccato, quia est conversio ad bonum commutabile: sed sic non est radix, sed genus omnium peccatorum: aliquando verò dicitur quædam inordinatio animi ad concupiscendum bona temporalia inordinatè, & hæc est habitualis passio, seu pronitas ad passionem ex originali peccato relicta, & non peccatum in actu, sed radix omnium peccatorum: dicitur igitur avaritia radix omnium malorum, † Fugiant igitur, & execrentur tanquam funestam pestem non solum Episcopi, sed Clerici omnes perversam habendi voluntatem & amorem, cum alieni ab argenti cupiditate esse debeant, ut dicit Apost. *non turpe lucrum sectantes*, quo fit, ait ibi Ambros. quando sub pia professione quæstui studetur, ut clericus mercaturæ vacet sibi à Canonibus prohibitæ, sordidaque obeat officia lucri gratia, & vinum, ac frumentum recondat ad annonæ caritatem: hominis enim vita in opum abundantia non consistit, ut Dominus noster Luca 12. admonet his verbis: *Videte, & cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his, qua possidet.* Neque etiam eo quod quisque ditior est, eo diutiùs vivit. S. August. serm. 28. de diversis, hanc Domini explanans sententiam, sic ait: † *Non solum avarus est qui rapit aliena, sed & ille avarus est, qui cupidè servat sua.*

*Pecunia, ut habetur Ecclesiast. 10. obediunt omnia:* 4 quo loco S. Ambros. dicit avaritiam, quia omnia mala potest admittere, ided radicem omnium malorum esse. Accinit S. Petrus Chrysolog. serm. 102. *Avaritia, Fratres, sicut dicit Apostolus, radix est omnium malorum, qua cum radicari cæperit in corde, sic morum dissipat ornamenta, sicut arbor noxia foralibus radicibus nexa solvit, & dissipat monumenta majorum.* Luculentius rem versat S. Alterius homil. adversus avaritiam, ubi hæc habet: *Avaritia juxta Apostolum idololatria est, omniumque radix malorum, innumera ex sese vitia progignens: sicut enim ii, qui aurum in sinu, visceribusque terra scrutantur, auream glebam circa principem, & proprium generationis locum cumulatam repositam inveniri narrant, & aliquas inde velut venas in longum hinc inde produci, sicut arborum à stipite latè sese explicant, ac diffundunt radices: ad eundem modum imagine non minus impropria auri, & avaritia multa video germina, multosque surculos una, eademque stirpe avaritia conjunctos.* Et optimè avarum definit S. Basilius homilia qua est 21. ex 29. *Aurum autem quid retinere poterit? Igne vehementior est, omnia continuando sinitibus suis occupat, ea qua sunt vicini, sibi aufert. Mox ubi alium sortitur vicinum, & qua illius sunt, ad se rapit, non ea qua retro sunt, attendit, sed qua his desunt, quæve*

ante prospicit à vicinis possessa desiderat. Eleganter Seneca lib. 2. de benefic. c. 27. Eo majora cupimus, quo majora venerunt, multoque comitator est avaritia in magnarum opum congestu collata, ut flamma infinito acrior vis est, quo ex majori incendio emicuit. S. August. lib. de salutaribus documentis, c. 30. Avarus enim vir inferno est similis; infernus enim quantumque devoraverit, nunquam dicit, satis est. Sic si omnes thesauri confluerint in avarum, nunquam satiabitur.

5 Et ex nimia pecuniæ aviditate & copia nascitur illa omnium scelerum procreatrix superbia, ut tradit S. August. serm. 5. de verb. Domini, c. 9. Nihil est, inquit, quod sic generent divitiæ, quomodo superbiam: omne pomum, omne granum, & omne frumentum, omne lignum habet vermem suum; vermis divitiarum superbia. Avaro dicitur Ecclesiast. 10. nihil est scelestius, nihil est iniquius, quam amare pecuniam, hic enim & animam suam venalem habet. S. Ambros. 2. offic. cap. 25. Dominus ad Discipulos suos ait: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam, quam velut falce pullulantem in pectoribus humanis succidit avaritia. Et idem Ambr. in Apostoli locum 1. ad Timoth. 6. 3. Nihil, inquit, tam asperum, tam perniciosum est, quam si Ecclesiasticus, maxime qui in sublimi loco est, divitiis hujus seculi studeat, &c. Valerianus hom. 19. de bono martyrii. Cupiditas, inquit, corda hominum divitiarum stimulis inquietat. Scitè S. Chrysost. homil. 13. in epist. ad Ephesios, ait: Divitiæ sunt tineæ, sicut tineæ corrodunt omnia, ita hæc quoque. Præclare S. Nilus in Parænesi. Ne lateris divitiis, cura enim, quæ ipsis impenduntur, à Deo separantur plurimum, & præter hominum expectationem. Divitiarum ferè comes fastus, & superbia est. Seneca epist. 86. de divitiis agens, sic ait: Instant animos, superbiam pariunt, invidiam contrahunt. Non aberrabit, qui divitiarum morbum superbiam dixerit, ex S. Augustino serm. 212. de Tempore, ubi ita loquitur: Nihil tam timendum est in divitiis, quam superbia. Denique Apostolus hoc admonet Timotheum. Præcipit, inquit, divitiis hujus mundi superbè non sapere; non enim divitiis expavit, sed morbum divitiarum: morbus autem divitiarum est superbia. Scitè Petr. Blefensis serm. 32. sic ait: Vermis divitiarum est superbia.

6 Cupiditatis, & avaritiæ barathro merguntur non solum qui bonorum temporalium aviditate nimia tenentur, sed etiam illi, qui juxta suum statum habentes quo vitam honestè transigerent, sine Ecclesiæ necessitate se beneficiorum multitudine onerant, quod prohibet Concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 16. tuti enim non sunt, etiam si cum illis dispensatum fuerit, dummodo sine urgenti causa fiat. Audi S. Ambros. lib. de considerat. ad Eugenium, cap. 4. Quid, inquit, prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores, sed in edificationem, non in destructionem. Denique queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniat: ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est; utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Unde Thom. Cantipr. lib. 1. Apum, cap. 10. pag. 6. 7. & 10. non paucos plura beneficia possidentes infelicissima morte extinctos, & se idcirco damnatos esse commemorans allegat.

8 Virum Catholicum, inquit S. Leo epistol. 51. relatus in cap. virum, 47. distinct. & præcipuè Domini Sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari, dicente sancta Scriptura: Post concupiscentias tuas non eas. Mens enim potentia avida, nec abstinere novit à vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum. Et S. Greg. lib. 7. epist. 110. relatus in cap. bonorum, 47. dist. ita ait: Bonorum auctori inherere aliter non valeamus, nisi cupiditatem à nobis, quæ omnium malorum radix est,

abscindamus. Et lib. 2. epist. 25. ad Ioannem Episcopum Squilatinum, in fine. Admonemus fraternitatem tuam, ut in commissis sibi animabus solerter invigilet, & animarum magis lucris, quam commodis vitæ presentis intendat. Et lib. 12. epist. 6. Archidiaconum Florentinum ob tentationem Episcopatus indignum judicavit.

## GLOS. XVI.

Sua domui bene præpositum.

## SUMMARIUM.

- 1 Domum suam diligenter Episcopi gubernare debent.
- 2 Extrema duo cavere debet Pastor, ne aut exterioribus curis nimis deditus ab intimis corruat, aut solis interioribus occupatus, quæ foris debet, proximis non impendat, & n. 3.
- 4 Episcopus debet esse sollicitus ad orationem.
- 5 Familiares Episcopi quomodo edocendi? ostenditur.
- 6 Familiares Episcopi convenit ut sint viri spirituales.
- 7 Boni in consilio, obsequio, ac contubernio habendi.
- 8 Familiares si non sunt spirituales, non diligunt te, sed tua.
- 9 Princeps nullum majus indicium bonæ mentis potest ostendere, quam si adjungat sibi viros virtutis, & fama celebres.
- 10 Familiares quales debeant habere Episcopi? ostenditur.
- 11 Regiminis Ecclesiæ argumentum ex dexteritate regiminis politici desumitur.



DILIGENTER, ut inquit D. Bernard. ad Eugen. de consid. lib. 4. Episcopi domum suam gubernare debent; noster enim Apostol. 1. ad Timoth. 5. scribens dicit, qui suorum, maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. Jure ergo, qui domui suæ nescit præesse, in Episcopum ordinari prohibetur, quia qui in re minima, de qua sibi familiarior debet cura inesse, fidelis non est, quomodo in Ecclesia Dei (ubi tot sunt & alieni) sollicitam diligentiam adhibebit? Unde Hieronymus: Non enim justus polluitur ex filiorum vitiis, sed libertas ab Apostolo Ecclesiæ Principi reservatur, ut talis fiat, qui non timeat propter vitia liberorum extraneos reprehendere, quod tunc fit, si non erit quod sibi imputetur; cum enim gressus hominis à Domino dirigantur, nec sint in homine ejus viæ, corripere quidem potest, corrigere autem non valet: pulsare potest, non aperire; manus comprimere, non animum mutare. Diligenter gubernata domum tuam, inquit D. Bernardus de consid. ad Eugen. lib. 4. nam, ut dicit Apostol. si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non quod minimis domus tuæ intendas, cum sis occupatus maximis. Nullo ergo modo implices animum curis rei familiaris, ac rerum tuarum, cum oporteat te habere animum liberum, quem nulla sibi vendicet violenta occupatio: nobilem, quem nulla deorsum trahat indigna affectio: firmum, quem nulla concutiat repentina turbatio: invictum, quem nulla fatiget etiam continua tribulatio: amplum, quem nulla coarctet rei temporalis amissio. Bonum acquirat gradum, ait Bernardus serm. 3. de assumpt. Virg. qui bene ministraverit; fortè meliorem, qui bene vacaverit Deo; optimum autem, qui perfectus est in utroque. In bono per minima ad magna eundem docuit Deus Moysis exemplo, quem in pastoralis prius exercuit arte, ut præparet ad principatum, quod expende

expendebat S. Basilius Seleucia Episcopus *orat. 9.* his verbis: *Oves in monte pascenti conspicuus Deus objicitur; illi enim concessit Deus pastorem agere, ut ex peccatorum pastore Israelis pastor crearetur, utque post artem pastoriam in modicis exercitum, tribulium suorum principatum ei crederet.*

2 Duo extrema, ut ait Gregor. cavere debet Pastor, ne aut exterioribus curis nimis deditus ab intimis corruat; aut solis interioribus occupatus, quæ foris debet, proximis non impendat. Incidentes in primum extremum sunt illi, qui obliti se datos esse in Prælatos propter salutem animarum, diebus ac noctibus solis curis externis incumbunt. Quo fit, ut interna (quæ alios docere debuerant) ignorent: quo etiam fit, ut subditi non proficiant, sed potius in spiritualibus torpeant: quia non habent Pastorem eorum animas ad cœlestia sublevantem, & ducem viam perfectionis ostendentem. Si enim à duce itineris erratur, exercitus sequens quomodo pertinget? Hic enim potius terreni iudicis, quàm cœlestis ducis officium exercens terrenis studiis suis excæcat oculos subditorum. Unde Dominus *Luc. 21.* non solum Pastores, sed & omnes admonet, dicens: *Videte ne graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius seculi: & Apost. nolter 2. ad Timoth. 2. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, &c. & item: Quæ sursum sunt sapite, quæ sursum sunt querite, non quæ super terram; mortui enim estis, &c.* Quod si Episcopi dixerint: Multa nobis secularia negotia commissa sunt, respondet Gregor. *in Pastor. p. 2. cap. 7.* adducens illud nostri Apost. *1. ad Corinth. 6.* Secularia iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum, ut scilicet illi in terrenis & secularibus negotiis occuparentur, qui penetrare intima nequeunt. Ideo meritò Jethro arguebat Moysen, quia terrenis populi negotiis labore serviebat nimio, consulens ut ad iurgia dirimenda alios constitueret iudices, ut ipse liberius vacaret arcanis cœlestibus cognoscendis ad populum erudiendum. Igitur à subditis inferiora gerenda sunt, à Rectoribus summa cogitanda, ut scilicet oculus, qui providendis gressibus præminet, cura pulveris non obscuret; pedum namque est pulvere involvi; monstruosum autem est, quod caput (id est, Pastor) ad pulverem recurvetur, & cum eo involvatur. Et de his Pastoribus dicitur: *Quomodo obscuratum est aurum, &c. Et lapides Sanctuarii dispersi sunt in medio platearum;* id est, in latitudine negotiorum terrenorum relinquentes secreta Sanctuarii. Igitur concludit Gregor. *ubi proximè,* secularia negotia aliquando ex compassione toleranda sunt, nunquam verò ex amore requirenda: ne cum mentem diligentis aggravant, hanc suo vitam pondere ad ima de cœlestibus mergant. Ideo semper cavendum Pastoribus, ne dum temporali sollicitudine incautè deserviunt, & vehementer incumbunt, ab intimo amore refrigerant, & foras fusi, oblivisci non metuant se esse animarum Pastores.

3 Cavendum etiam est alterum extremum. Sunt enim (ait idem Gregor. *d. loco*) quidam, qui sic sibi vacare ad spiritualia appetunt, ut rebus exterioribus nullatenus occupentur, quorum nimirum prædicatione plerumque despiciunt: quia subditis necessaria pro vita temporali non tribuunt. Egentis enim mentem sermo prædicantis non penetrat, quem misericordia ejus non rigat. Sic ergo oves oportet interno pastu saginare, ut etiam eis exteriora provideantur: ideo Paul. *1. ad Timoth. 5. Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet.* Igitur Pastores neque vehementer incumbant curis exterioribus, neque ex toto eas relinquunt, & ad hoc adducit illud *Ezech. 44.* ubi præcipitur Sacerdotibus, ut neque radant capillos, neque coenam nutriant.

*Aug. Barbosa de Episcop. Pars I.*

sed duntaxat tondeant. Per capillos enim externæ curæ significantur, quæ si nimis crescunt, oculos internos impediunt, ne videre possint. Non sunt ergo radendæ ex toto, sed tondendæ, id est, sub certa mensura tenendæ. Unde D. Bernard. *lib. 1. de considerat. ad Eugenium,* sic ait: *Itaque consulo tibi, non fias servus hominum, non consumas totum tempus in audiendo leges Iustiniani, lites, & cavillationes: dic illud Psalmi 118. Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. Tuum principale munus est edificare Ecclesiam, docere populos, meditari in lege Domini, quæ sola est lex immaculata convertens animas. Non dico quod totum te subtrahas illis secularibus occupationibus, sed quod non tradas te totum. Si es homo omnium omnibus factus, esto etiam tui: alioquin quid tibi prodest, si universos lucreris, & te ipsum perdas? Habe igitur te, & si omnes veniunt ad bibendum de fonte tuo, bibe etiam & tu, aliàs tu solus suiens permanebis. Qui sibi nequam, cui bonus? Itaque non totum te des actioni, neque semper; sed considerationi aliquid tui cordis, & temporis sequestra, vacans Deo; quia & ibi præordinas quæ agenda sunt secundum Deum, ne precipitantes fiant; ibi primò scrutaris, & ordinas effectus & actus tuos, demùm alienos. Itaque huic tam pio, quàm utili otio nullam in vita operam dare, vitam perdere est. Imitare S. Gregorium, qui ultimam partem Ezechielis obscurissimam in otio exposuit, eo tempore, quo Urbs erat obsessa, & in summa tempestate negotiorum, ut ex ejus præfatione liquet.*

Episcopus igitur debet esse sollicitus ad orationem, quò per eam Deo interno amore jungatur, petens ab eo ut ipsum custodiat, ne peccet, qui alios à peccatis avertere debet, ut det tibi sapientiam ad populum regendum, qui dat omnibus affluentè, & non improperat; qui & orare tenetur pro tota civitate, imò pro omnibus viventibus, & fidelibus defunctis, ut dicit S. Chrysost. *lib. 7. de Sacerdotio.* Unde ter saltem in die in oratione assiduus sit, manè, meridiè, & vesperi, & ob id domi capellam magnificè extructam habeat, ubi quotidie Missam celebret, & de obligatione Episcopi celebrandi Missam agit Marc. Anton. Genuens. *in man. Pastorum, c. 11.*

Circa familiares ab Episcopis assumendos D. Bernard. *lib. 4. de consid. ad Eugenium,* hæc monet: *Studeas scire mores, & studia familiarium tuorum, non decet, ut vitia domus tuæ ultimus scias, quod quamplurimis novimus contigisse. Alius alia dispenset, tu de disciplina provide, illud nemini credas: si insolentior coram te vel sermo sonuerit, vel habitus apparuerit, manus tua super huiusmodi: ulciscere injuriam tuam, impunitas ausum parit, ausus excessum. Domum Episcopi decet sanctitudo, honestas in vultu, incessu, habitu, &c. Discam à te Coepiscopi comatulos pueros, & comptos adolescentes secum non habere: certè inter mitratos discurrere calamistratos non decet. Et maximè convenit, ut familiares Episcopi sint viri spirituales; nam, ut dicit Gregor. *super Ezechiel. Qui Sanctis adhaeret, ex assiduitate visionis, loquutionis, exemplo operis accipit unde accedatur in Deum, vitia fugiat, minusque sentiuntur labores virtutis; sciunt enim illi compati, sciunt gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, libenterque sustinent penuriam temporalium.**

Hinc Bernard. *ad Episcopum Genevens. epist. 28.* sic ait: *Omnia fac cum consilio, nec tamen omnium, aut quorumcumque, sed tantum bonorum. Bonos in consilio, bonos in obsequio, ac contubernio habeas, qui vita, & honestatis tuæ custodes sint, & testes. Summa, inquit S. Basilius *serm. de abdicatione rerum, vigilantia, acerrimè in omnes partes animi circumspeditione operam dato, ut aliquem virum tibi invenias, quem in omnibus deinceps delecta tibi vita studiis certissimum ducem sequare, ejusmodique, qui rectum iter ad Deum volentibus**

pergere, sciatis commonstrare: qui ornatus virtutibus sit, cujus universa totius ipsius vite actiones testimonio sint charitatem in eo erga Deum inesse, qui divinarum litterarum scientiam habeat, virum integerrimum, nec ulli distractioni indulgentem, ab avaritia abhorrentem, minimè libenter gerendis se negotiis admiscens, quietum, amantem Deum, egentium studiosum, minimè iracundum, injuriarum immemorem, natura propensum ad eos docendos, qui ad ipsum accedant, quem gloria inanis non inflat, superbia non extollat, adulatio non frangat, severum, atque constantem, cui denique nihil sit praestantius honore Dei.

8 Item Bernard. de consid. lib. 4. ad Eugenium, sic ait: Tales studet habere familiares, qui si velles aliquatenus deviare, non sinerent, frenarent precipitem, dormitantem excitarent, quorum libertas excedentem corrigeret, extollentem reprimeret, quorum constantia, & fortitudo nutantem firmaret, erigeret dissidentem; quorum sanctitas ad omnia te bona incitaret. Familiares tui si non sunt spirituales, non diligunt te, sed tua; immò nec te, nec tua, sed quae sua sunt quarunt, & ea venantur adulationibus.

9 Commin. in lib. 3. Comment. dicit, nullum majus indicium bonae mentis Princeps potest ostendere, quam ut adjungat sibi viros virtute, & fama celebres; nam omnes statim judicabunt eum talem esse, quales ii qui apud illum sunt. Et Cassiodor. lib. 4. var. epist. 3. ad ornamentum palatii pertinere ait aptas dignitatibus personas eligere, quia de claritate servientium crescit fama dominorum. Laudat Claudian. Stiliconem suum lib. 2. in Stilic. quia in hoc nec nobilitati, nec ignobilitati deferebat, sed tantum meritis famulorum. Et Isocrat. ad Nic. ita consuluit: Principatum adeptus nullius improbi ministerio utitor; nam quicquid ille deliquerit, tibi veluti auctori imputabitur.

10 Erit igitur Episcopus domui suae bene praepositus, si attendat diligenter ne in ea sint rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati, blasphemii, & voluptatum amatores, ut docet Concil. Trident. sess. 2. cap. un. observant Fusch. de visitat. lib. 1. c. 3. num. 7. Marc. Anton. Genuenf. in manuali Pralat. c. 22. Campan. in diversorio Juris Canon. rub. 4. n. 44. Ugolin. de officio Episcopi p. 1. c. 2. n. 5. me citato in hoc loco, Mauric. de Alzedo de praecl. Episcop. dignit. p. 1. c. 5. n. 3. 9. proinde cum tantum numerum habeat, quo & Ecclesiae utilitati, & ipsius necessitati consuli possit, & in eo mulierem nullam, nec aliquem qui viginti annis minor sit natus, & quamplures fieri potest clericos habeat, & inter hos duos Sacris initiatos bonae conversationis, qui quasi testes sint sanctae ejus conversationis & studii, c. Diaconi, 93. dist. & in primis litteratos secum habeat, c. esto, ubi glos. 95. dist. alterum praeterea habeat moribus spectatum, qui familiae praefectus sit, & eam pie instruat, & corrigat, ac in sacris edoceat. Nullus familiae Episcopi arma ferat, nisi in itinere necessitatis causa. Episcopi arbitrio, nigro tantum, vel fusco colore utens, à serico, auro, argento, & vario colore abstinens, & simplici vestitu contentus. Curet Episcopus, ut omnes ejus familiares quotidie Missam audiant, & clerici saltem similiter cum ipso semel in hebdomada jejurent, ac bis in Adventu, praeter stata Ecclesiae jejunia, utque semel saltem in mense sacram Eucharistiam suscipiant: at in Adventu, & Quadragesima diebus Dominicis clerici saltem, ac dum familia cibum capit, sacra lectio adhibeatur. Curet etiam Episcopus ne inertiae dediti aliqui sint, sed honestis actionibus occupati, & ut abstinentes à flagitiosorum hominum consuetudine, & locis ubi turpiter vivitur, nec foris pernoctantes, & abstinentes à jocis, & inanibus oblectamentis, & libris hujusmodi continentibus, religionem & pietatem praeseferant, ac ostendant se dignos esse, qui populi duci ministrent. Quotidie verò Episcopus in vesperi antequam ad cenam

accedatur, cum iis Litanias, & preces devotè recitet, & pie oret, ac salutaribus monitis ad vitae innocentiam, integritatem, pietatem, humilitatem, & alias virtutes Christianas exercendas accendat, & curet, ut quolibet die post orationem unus, aut alter clericus sermonem in Oratorio habeat, quo pie ad virtutem aliquam amplectendam, vel vitium fugiendum hortetur, ut verè certior fiat Episcopus quomodo familia ejus vivat, visitet eam frequenter, & ejus gressus exploret, bonos praemiis, & laudibus afficiendo, malos contra corrigendo, & incorrigibiles expellendo. Cum domo Episcopus egreditur, familia eidem assistat, & modestè comitetur. Cum aliquis ex ea aegrotat, Episcopus eum paternè inviset, & omni ejus necessitati opportunè succurrat.

Postquam noster Apostolus ostendit Episcopum domui suae bene praepositum esse debere, ex oeconomicae rectionis dexteritate sumpsit conjecturam, & iudicium de gubernandae Ecclesiae industria. Si quis autem, ait, domui suae praesse nescit, quomodo Ecclesia Dei diligentiam habebit? Qui etiam ejusdem epistolae Timothei c. 5. Si quis autem, ait, suorum, maximè domesticorum curam (ut corporis, & potissimum animae salutis provideat, & consulat) non habet, fidem negavit (si non verbo negavit, saltem facto, quia & suam, & Christianae Religionis bonam famam negligit, unde ejus contemptus, & obrectatio nascitur) & est infidelis deterior (ut qui naturae, & humanae charitatis impulsu suae familiae potius, quam exteriorum rationem, & provisionem habeat.) Unde S. Chrylost. homil. 14. in hanc epist. sic ait: Plerique virtutem suam sibi satis esse ad salutem putant, & si vitam suam ritè disponant, deesse sibi nihil arbitrantur, sed hi profectò falluntur, idque aperitè satis indicat servus ille qui talentum unum sibi à domino creditum fodit in terram, Matth. 25. neque enim imminutum illud, sed integrum, & hujusmodi quale acceperat, retulit. Evidenter Beatus Paulus hoc loco id ipsum asserit, dicens: Si quis suorum ad se pertinentium curam non habet (cura nomine providentiam animae, & corporis significatur) fidem negavit. Deum, ait ad Titum 1. verbis se scire confitentur, factis autem negant.

Ex aptitudine, inquit Modernus quidam, & dexteritate regiminis oeconomici sumitur indicium de aptitudine ad regimen politicum, & Ecclesiasticum; qui enim bene domum suam moderatur, signum est quod idem benè reget Ecclesiam. Unde Hieron. ad Oceanum: Vult, inquit Apostolus, Episcopum domum suam bene regere, non ut opes augeat, non ut regias paret epulas, non ut calatas patinas struat, non ut phasides aves lentis pavonibus coquat, qui ad ossa perveniant, & superficiem carnis non dissolvant artifici temperamento; sed ut quod populo praecipitur, prius à domesticis exigat. Unde ait Theodoret. Qui parva nescit administrare, quomodo poterit ei credi cura praestantium, ac divinarum? Et Ambros. Manifestum est, quia tunc potest idoneus Rector futurus probari, si prius domum suam rectè gubernaverit, qui enim in minimis fidelis est, & in magnis fidelis erit. Paulus enim omnino necessario à minori negando concludit; nam qui familiam non potest rectè administrare, is Ecclesiasticae praefecturae, quae multò est tum difficilior, tum laboriosior, par esse non potest: sic namque Chrylost. Ecclesia, inquit, est velut domus quadam, & sicut in domo uxor est, & filii, ac servi, omniumque cura, ac regimen incumbit viro; ita ferme & in Ecclesia videas. Est autem longè facilius domum, quam Ecclesiam regere. Qui igitur rem, ut dixi, familiarem dispensare congruè nescit, is quo pacto Ecclesiae praesse convenienter posse putandus est?

GLOSS. XVII.

Non neophytum.

SUMMARIUM.

- 1 Neophytus deducitur à neos, quod est novum, & phytos, quod est Fides, quasi novus in Fide.
- 2 Neophytus est ille, qui à reprobata religione conversus de recenti Christiana militia nomen dedit.
- 3 Neophyti nuncupari non debent, qui à multo tempore ab Infidelitate ad Christianismum sunt conversi.
- 4 Neophyti nuncupari non possunt qui à nativitate sacro Baptismate fuerunt abluti.
- 5 Neophytus quare ad Episcopatum non sit promovendus? ostenditur.
- 6 Neophytus ad Ordines sacros non est promovendus.
- 7 Neophyti vita qualitas quando ostendit illum esse talem, qualem decet esse bonum Sacerdotem, tunc potest ordinari.
- 8 Papa promovens neophytum ad Episcopatum, videtur cum eo dispensare.
- 9 Alexander de Francis, vulgò Hebraeus nuncupatus, Ordinis Predicatorum, à Clemente VIII. ad Episcopatum promotus.
- 10 Baptismus solemnus familiae cujusdam ex primariis inter Judæos à Pio V. Pont. Max. factus.
- 11 Salomon Corcosus Hebraeus à Gregor. XIII. baptizatus, & honoribus decoratus.
- 12 Gratiis amplioribus honorandi, qui renati sunt fonte Baptismatis, pristina cecitate dimissi.
- 13 Homines undecumque nascantur, si parentum vitia non scelerentur, & Deum rectè colant, honesti, & salvi erunt.
- 14 Familia nulla, cognatio, patriæ sapientis est, præter virtutes, & actiones ejus.
- 15 Nobilitas summa est clarum esse virtute.
- 16 Nobilitas vera non ex sanguine, & carne, sed ex virtute animi accipit formam, & claritatem.
- 17 De vitio parentum non est quis laudandus, aut vituperandus.
- 18 Ordinandus est in Ecclesia, qui eam diligit, non deglubat.
- 19 Generis differentia ad Ecclesiastica beneficia, publicaque officia obtinenda operatur gravia inter utrumque populum dissidia.
- 20 Communio in omnibus est diligenda.
- 21 Unitas à Domino, & per Apostolos tradita, quantum possibile fuerit, obtineri debet.
- 22 Statuta quod neophyti, & descendentes ab eis non admittantur ad Ecclesiastica beneficia, probanda non sunt.
- 23 Lex constituens generis differentiam, generaliter dicitur facta in odium certarum personarum, & est nulla.
- 24 Statuta prædicta probanda videntur; quando eorum prohibitio non est indefinita, sed restricta ad certos gradus.
- 25 Prohibitio generalis ultra quartum gradum non potest esse rationabilis.
- 26 Statuta prædicta valida erunt, si eorum prohibitio restricta fuerit ad certas Ecclesias.
- 27 Conditione adjecta in limine foundationis Ecclesiæ per patronum, vel fundatorem, quod non possint beneficiarii recipi, nisi descendentes ex puris, & antiquis Christianis, valida est.
- 28 Fundator in limine foundationis potest apponere quascumque conditiones, etiamsi sint contra jus, nisi sint natura impossibiles, vel aliàs à jure improbate.

- 29 Statuta quod neophyti, & descendentes ab eis non admittantur ad Ecclesiastica beneficia, sunt pœnalia, exorbitantia, & strictè accipienda.
- 30 Constitutiones, aut brevvia contra descendentes ex genere Hebræorum Regni Portugaliæ, referuntur.
- 31 Præbenda dimidia, portionaria, & tertionaria, non veniunt appellatione canonicatus.
- 32 Constitutio prohibens certo generi personarum obtinere principales dignitates Collegiarum Ecclesiarum, comprehendit tantum unam principalem in qualibet Collegiata.
- 33 Prior in Lusitania dicitur prima dignitas in Collegiata.
- 34 Constitutio prohibens certo generi personarum obtinere Parochiales Ecclesias curam animarum habentes, non comprehendit illas, quæ sunt unitæ in perpetuum, & accessoriè alteri beneficio non parochiali, vel curato.
- 35 Cura animarum probatur esse penes illum, cui incumbit specialiter jurisdictio spiritalis, idest administratio Sacramentorum.
- 36 Beneficii uniti nomen, & titulus extinctus, & suppressus est, ita ut amplius non censeatur vacare, nec in eo ullus possit institui.
- 37 Unionis litteræ non dicuntur de beneficio, sed de proprietate, & re profana.
- 38 Unionis causa non dicitur amplius beneficalis.
- 39 Beneficia illa dicuntur curam animarum habere, quæ eam habent actu, non verò habitu.
- 40 Cura animarum ubi simpliciter sit mentio, intelligitur semper de cura actuali, & non de habituali.
- 41 Episcopi arbitrio relinquitur an oporteat ponere perpetuum Vicarium in parochialibus unitis.
- 42 Extravag. Execrabilis, vers. quantum, de præbend. declaratur.
- 43 Beneficiatus qui habet annexam Parochialem suo beneficio, non intitulatur in Parochiali, sed in beneficio, cui est annexa accessoriè, & in perpetuum.
- 44 Vicarius Episcopi temporalis est, dignitas verò Vicariatus perpetua judicatur.
- 45 Capitulum excludens provisum ob impuritatem sanguinis, tenetur probare causam exclusionis.
- 46 Nemo natus inter Christianos gravatur onere probandi se esse natum ex puris Christianis.
- 47 Statutum Toletanum cum utatur verbo, progenies, non exigit probationem macula in certo gradu, sed sufficit quod ipsa progenies sit infecta.
- 48 Capitulo volente repellere provisum tanquam impurum, quando incumbat ipsi proviso onus probandi se purum, ostenditur.
- 49 Informatio de genere nunquam præstat exceptionem rei judicate.
- 50 Exceptio impuritatis debet plenè, & concludenter probari, & num. 45. quando per famam possit probari.
- 51 Impuritas sanguinis per famam concludenter probari non potest, nisi sit perpetua, & illæsa apud omnes, & appareat oriri potuisse ex aliqua probabili causa, quæque contrariis probationibus non debilitetur.

**N**EOPHYTUS deducitur à verbo neos, quod est novum, & phytos, quod est fides, quasi novus in fide, juxta glos. Nicolai de Lyra super hunc Apostoli locum, Turrecrem. in sum. 48. distinct. num. 2. Salzed. ad Bernard. in pract. c. 22. num. 1. in noviss. edit. Dicimus igitur neophytum, qui à reprobata religione conversus de recenti Christianæ militiæ nomen dedit, cap. sicut, 48. dist. 1. nam ii, qui à multo tempore ab infidelitate ad Christianismum sunt conversi, neophyti nuncupari non debent, quamvis injuriosè hoc nomine appellentur ab aliquibus, quos gravibus verbis arguunt Turrec. d. loco, num. 2. vers. ex qua descriptione, Nav. in man. c. 27.

sub num. 295. vers. dixi recentior conversus; multoque minus hoc nomine possunt appellari eorum filii, & descendentes, qui nati à parentibus conversis à nativitate sunt Sacro Baptismo lavati. Cov. in Clem. si furiosus, part. 1. §. 2. num. 7. vers. prima conclusio, Nav. d. num. 205. vers. tertio dico, Hojeda de incompatib. benefic. part. 1. cap. 24. n. 2. Greg. de Valentia tom. 4. disp. 7. punct. 3. §. 3. Sayr. de censuris lib. 6. c. 13. sub n. 11. Flamin. de resignat. lib. 4. quest. 4. n. 22.

5 Ad Episcopatum non esse promovendum neophytum dicit Apostolus in presenti, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli, fortasse credens Fidem Christianam ejus auxilio indigere, ac sine eo regi minimè posse, ut hic glossavit Lyrineus, & gloss. in sum. 48. distinct. Rectè autem metuit Apostolus tumorem superbiæ; nam ut scribit Hieron. epist. 83. ad Ocean. Ignorat momentaneus Sacerdos humilitatem, & mansuetudinem rusticorum, ignorat blanditias Christianas, nescit seipsum contemnere, de dignitate transfertur ad dignitatem, non jejunavit, non flevit, non mores suos saepe reprehendit, & assidua meditatione correxit, non substantiam pauperibus erogavit, de cathedra quodammodo ducitur ad cathedram, idest, de superbia ad superbiam. Et in eandem sententiam Ambros. Verum est, ait, quia rudis in Fide solet extolli superbia, maxime si accipiat Ordinem: novitate enim, & potestate inflatur, arbitrans se præ cæteris digniorem. Videns enim primo anno nativitatis collatum in se honorem, putat non magis ad suum, sed aliorum profectum se vocatum, quasi beneficium religioni det magis, quàm accipiat ab ea, per quam rem elatus incurrit in iudicium diaboli, inventa enim occasione superbiæ illius, fatanas præcipitat eum: ratio etiam illa mihi placet, quia ruit murus, cum pondus tignorum humore nondum exsiccatum apponitur, ex Felino in cap. eam te, vers. limita secundo, sub num. 11. de rescriptis: tum quia, ut tradit D. Hieron. super epist. Pauli ad Titum, & refertur in sum. 48. dist. non licet, ut qui erat heri catechumenus, hodie fiat Episcopus; qui heri erat in theatro, hodie sedeat in Ecclesia; qui vesperi orat in circo, hodie ministret in Altari; qui dudum fuerat fautor histrionum, hodie fit consecrator Virginum: tum etiam quia, ut ibi ait glossa verb. prohibentur, is alios edocere non potest, qui nunquam ipse didicit: tum denique, quia aliis se conformare non poterit, cum nunquam ipse statum Ecclesiæ regendo expertus est. Nec nuper, inquit Anselmus, baptizatus, nec nuper à secularibus negotiis, vel à militia separatus fieri debet Episcopus, quia unusquisque talis est neophytus. Hinc emanavit Canon Apostolicus 80. cujus sententiam explicat Origen. lib. 3. contra Cels. his planè verbis: Quia ex Gentili, vel ex Judeo fit Christianus, aut ex vita prava ad honestam convertitur, ne statim Episcopus fiat: indignum est enim, ut qui nondum documentum vite sua dederit, aliorum fiat magister. Unde † ad Ordines sacros non debere neophytum promoveri, probare videtur text. in cap. neophytus, 61. dist. & per illum tradunt Turrecr. in cap. 2. num. 1. 58. dist. Ripa in cap. eam te, num. 31. vers. tertio respondet, de rescript. ubi Dec. num. 32. Covar. d. num. 7. vers. secunda conclusio, Hojeda de incompatib. benefic. part. 1. cap. 24. num. 3. Majol. de irregularit. lib. 1. cap. 31. Marquar. de Judæis part. 3. cap. 5. sub num. 8. Azor. instit. moral. 1. p. lib. 4. cap. 2. quest. 1. Campan. in diversorio juris Canon. rub. 11. cap. 7. num. 1. ubi num. 5. resolvit in neophyto volente se ordinari tam ad sacros Ordines, quàm ad minores, requiri transactum biennium à sua conversione. Henriquez lib. 14. de irregular. cap. 4. num. 7. ait cum neophyto bene instructo, & confirmato in Fide posse Episcopum dispensare: verum optimè ex Covar. d. §. 2. num. 8. conclus. 3. & Avila de censur. p. 7. disput. 4. dub. 4. tenent Sanch. in præcept. Decalogi tom. 1. lib. 2. c. 28. num. 12. neophytos descendentes ex Judæis, vel

Mauris, quamvis non sint ante usum rationis baptizati, sed post, posse ad sacros Ordines, & beneficia promoveri cum iudicio Episcopi, nec in hoc casu esse expectandam summi Pont. dispensationem, sed tantum Episcopi arbitrio consecrandos esse hujusmodi noviter ad Fidem conversos, si sint tales, ut meritò dicendi sint veterani Christiani, vel ex morum probitate, & integra legis Evangelicæ instructione, vel ex antiqua Christianæ religionis professione. Optimè P. Zapata de instit. distributiva, p. 1. c. 11. num. 7. ibi: Qui jam à nativitate Christianam Fidem professi fuerint, & ab ipsa infantia Fidei se addixerint, tamen si patrem, avum, aut proavum Ethnicum, Judæum, vel Sarracenum habuerint, irregulares non sunt, neque tanquam neophyti à beneficiis, & Ecclesiasticis dignitatibus, aut officiis secularibus prohibentur: neophyti non sunt, nec dici debent, c. sum. 48. dist. Nec attento fure communi à sacris Ordinibus, beneficiis, dignitatibus Ecclesiasticis & honoribus publicis & secularibus repelluntur, ut refert R. P. Hieronym. à Cruce in defens. statutorum, & nobilitatis Hispan. lib. 2. cap. 9. pag. 206. Optimè Didac. de la Motta in tract. de confirmatione Ordinis Militia S. Jacobi de Spata, lib. 2. c. 2. §. 2. ad 2. num. 15. pag. 223. ibi: Quod si placet, candide lector, hic amplius immoremur, afferamus exemplum ex doctrina ejusdem Apostoli 1. ad Timoth. 3. in qua dicit, Neophytus non assumatur ad Episcopatum, jam ex hoc non licet inferre, quod nullus neophytus in Episcopum assumatur, vide quod sequitur in littera D. Pauli, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli, ecce causam, ne superbiat, putans quod Religio Christiana illo indigeat. Itaque D. Paulus loquitur de neophytis, qui non solum sunt neophyti etate, sed etiam perfectione, ut explicat D. Thomas hoc loco, ex quo sequitur, quod si sic humilis, & moribus, ac integra Evangelicæ legis institutione præditus, aliis se conformare valens, jam poterit in Sacerdotem & Episcopum assumi, ut inter alios explicant Covar. in Clem. si furiosus, p. 1. §. 2. num. 7. Navar. cap. 27. num. 205. Majol. lib. 1. cap. 32. Ratio est, quia cessat causa inhabilitatis, ut dist. 61. c. neophytus, & jure optimo, quia quoad istum effectum iste homo non est neophytus, sed veteranus miles Christianæ Religionis, & in Christiana Religione & disciplina neophytus non est, nec sic appellandus: facit etiam text. in c. statuimus, eadem dist. 61. quod laici prohibentur eligi in Episcopum: cessantibus autem causis prohibitionis, cessat ipsa constitutio, ut si laicus merito sua perfectionis clericalem vitam transcendit, ejus electio potest rectè haberi, &c.

Quando igitur qualitas vitæ neophyti ostendit illum esse talem qualem decet esse bonum Sacerdotem, cessat ratio prohibitionis, & consequenter cessat prohibitio propter rationem inducta, ut sunt expressa verba dicti cap. neophytus, ubi Vercellenses vituperabant electionem Ambrosii, quia neophytus erat, quibus respondit idem Ambrosius hoc ideo esse prohibitum ab Apostolo, quia neophyti consueverant propter honores superbire, sed si humiles inveniantur, bene possunt ordinari, refert Alphons. Alvarez Guerro in speculo juris Pontificii, cap. 10. paulò post princ. pag. 31.

8 Cum prohibitio hæc Apostoli, quod neophytus ad Episcopatum non promoveatur, non sit ex præcepto Christi, sed secundum legem communem, quia ipse hoc pronunciavit tanquam Ecclesiæ Doctor, non uti præcipiens nomine Christi, d. cap. neophytus, Turrecr. in sum. 48. dist. num. 4. vers. ad secundam partem, Azor. part. 2. lib. 4. cap. 6. q. 12. vers. verius tamen. Ideo eo ipso, quod Papa promovet neophytum ad Episcopatum scienter, videtur cum eo dispensasse, quia illius irregularitas non est similis aliis, quæ requirunt dispensationem, sed remittitur arbitrio Superioris, qui propterea illum promovendo, videtur declarasse



clarasse eum esse in Fide solidatum, ac proinde impedimentum in eo cessasse. Cov. d. num. 7. vers. secunda conclusio, Hojeda d. cap. 24. num. 3. me citato in hoc loco, Marchin. d. tract. 1. part. 10. c. 2. n. 3. & 18.

9 Quare Summi Pontifices aliquando ad Episcopatus neophytos promoverunt post longam vitæ probationem, & postquam in eis concurreret qualitas humilitatis, & in Fide solidati apparerent, ut vidimus ætate nostra Alexandrum de Franciscis, vulgò Hebraicum nuncupatum, à Clemente VIII. ad Episcopatum Foroliviensem assumptum, qui quamvis esset in Hebraismo natus, & alitus; ad Fidem tamen conversus non solum Christianam pietatem sinceris fuit amplexatus affectibus, sed Sanctissimam Dominicanam familiam ingressus, ibi evasit homo charitatis insignis, & prædicator egregius; quod sufficere visum fuit, ut illi Episcopale munus committeretur.

10 Sic etiam iidem Summi Pontifices propagandæ religionis zelo hujusmodi neophytos ex primariis Judæorum familiis conversos ad honores promovebant, tum ut ipsi animadverterent Christianam religionem sibi terrenas dignitates non sustulisse, juxta illud: *Non eripit mortalium, qui regna dat cælestia*; tum etiam ut cæteri illorum exemplo ad Fidem capessendam allicerentur. Unde sanctæ memoriæ Pius V. familiam quandam ex primariis inter Judæos ad Fidem Christianam conversam in Ecclesia S. Petri magno populorum concursu, & apparatu propria manu baptizavit, ac deinde stemmate nobilitatis, privilegiis insignioribus, proprioque cognomine decoravit, ut testantur Genebr. in chron. Surius in compendio historiae, & omnes, qui ejus vitam scripserunt. Sic etiam

11 Gregorius XIII. æternæ mem. Pontifex † Salomonem Corcossum inter eosdem Judæos familiæ antiquitate primarium, ac multis opibus florentem, ad Fidem venientem baptizavit, propriumque nomen, cognomen, arma, & nobilitatem Romanam pro se, suisque donavit, qui postea uti nobilis electus fuit Conservator Urbis.

12 Dignum, & Juri consonum est, ut renati fonte baptismatis, pristina cæcitate dimissa, amplioribus favoribus, & gratiis prosequantur, ut sic de servitute ad libertatem transire videantur, Extrav. 2. de Judæis inter communes. Illis igitur, quæ Christianum decent hominem, nullo modo debent privari, præcipuè si eorum conversio sit plenè probata, & multò magis, & à fortiori, si ipsi, eorumque parentes Christianam professi fuissent religionem, quamvis à gente Judæorum genus deducerent. *Non est enim distinctio Judæi & Græci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.* Apost. ad Rom. c. 10. *Omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, &c. idem 1. ad Cor. 12. & in omnes nationes gratia Spiritus sancti effusa est.* Act. 10. in fine, quibus in locis Apostolum mira semper dexteritate studuisse æqualitatem in utroque populo stabilire, docent DD. Hieron. August. & Anselm. in d. c. 20. ad Romanos.

13 Cùm Tobias interrogasset Angelum, qui filium erat comitaturus, de qua Domo, aut de qua Tribu esset, respondit ei Angelus: *Genus quaris mercenarii, an ipsum mercenarium, qui cum filio erat? quasi diceret, non genus hominum, sed personas esse perpendendas.* Et D. August. lib. de bono conjug. cap. 16. relatus in cap. undecumque, 46. dist. sic ait: *Undecumque homines nascantur, si parentum vitia non sectentur, & Deum rectè colant, honesti & salvi erunt. Semen enim hominis ex qualicumque homine Dei creatura est.* Et Chrysof. homil. 20. in Matth. *Cunctis unam, atque eandem nobilitatem donavit Deus, cùm dignatur omnium pater vocari.*

14 Sacra Scriptura Genes. 5. postquam de Sancto Patriarcha Noë loquuta fuit, hæc dicit: *Hæ sunt generationes Noë. Genealogia rarus mundus, dicit Chrysof.*

homil. 25. in Genes. nam ubi Scriptura dixit: *Iste sunt generationes Noë, & aures nostras spe quadam implevit, quasi genealogiam illius narratura, & qui ejus pater fuerat, & alia, qua mos est recensere: relictis tamen illis omnibus, dicit: Noë homo justus, & perfectus in generatione sua, placuit Deo. Vidistis admirabilem generationem; sequamur igitur & nos divina Scriptura regulas, & quorum genealogiam enarramus, eorum non patres, aut avos, aut abavos in medium afferamus, sed virtutes, & benefacta exponamus, ut huic optima genealogia mos est.* Philo lib. de Abrah. hunc eundem observat locum, & affirmat Moysen virtutes Noë posuisse, ita ut in stemmate ejus, non more aliorum avos, vel proavos, majoresque cæteros recenset, sed virtutes quasdam, declarans nullam aliam familiam, cognationem, patriamve sapientis esse, præter virtutes, & actiones ejus: hunc locum ad hoc propositum refert Joan. Salgado de Araujo in lege Regia Portugalia, discursu 1. num. 185. Hinc D. Chrysof. super illud Matth. 4. *Patrem habemus Abraham. Quid, inquit, Timotheo no-cuisse creditur, quod fuit ex patre gentili: aut quid no-cuit Abrahæ, quod patrem habuit Tharam luteorum Deorum cultorem? nonne separatus à genere suo posuit est in caput fidelium, ut non jam diceretur filius peccatorum, sed pater Sanctorum, nec potuerunt ejus gloriam sordidare paterni errores?*

Egregiè Petrus Blesensis epist. 3. ad hoc propositum sic ait: *Sicut non portabit filius innocens iniquitatem patris, sic filium reprobum non decet de patris actibus gloriari. Et quæ nobis argumenta prætendis, ut ejus te filium probes, cujus pomposam memoriam magnificas, & extollis? sanè ideò Dominus Abraham ex Sara & Agar, ex duabus etiam uxoribus, & duabus ancillis voluit Jacob prolem suscipere, ut universitatis humane successio de parentum conditione incerta, & ignara utrum à libera, vel ancilla descenderit, se de generositatis ubique gloria non extollat: titulos enim Sara, aut Rachelis, quos sibi quandoque adscribit vaga & vulgaris opinio, proscribit, & abolet nequitia in moribus, servitus in peccatis, ut se filios ancillarum conversione testentur, qui de aliorum virtute, quam apud se non noverint, instantur. Præterea in domo Jacob spurii pariter cum legitimis funiculum hereditatis sortiti sunt, & communiter inter se familia judicium dictaverunt. Fatui, delirique Hebræi, qui habere se patrem jactant Abrahamum, filii prorsus degeneres: scitè dictum ab Auctore operis imperfecti homil. 3. in Matheum: *Ipsè se vacuum ab omnibus bonis actibus ostendit, qui gloriatur in patribus, in gloria hac gloria est, quæ in parentum meritis tantum sita.* Jure Hebræos premit S. Cyrillus Alexandrinus in Amos cap. 2. Et clementia miserii processerunt, ut sibi ad felicem statum, & ad gloriam satis fore arbitrarentur ex radice Abrahami prodisse. Non esse inaniter de patrum nobilitate gloriandum ostendit Christus, cùm in sua genealogia etiam injustos voluit recenseri, quod scitè expendit idem Petrus Blesensis dict. epist. 3. dum ait: *Quid inter parentelas hominum variando distinguis? ab uno patre descendimus universi, & singuli. Certè speciosus forma præ filiis hominum Christus Iesus, de quo scriptum est, quia vir nobilis est in portis ejus, cujus nobilitatem, & generationem Propheta non sufficit enarrare: & qui unius nostræ generositatis est auctor, de justis & injustis, de magnis, & ignobilibus carnem traxit; nam & agnus Paschalis juxta septuaginta Interpretes, de ovibus & capris assumebatur, in quo manifestissime vides, quod apud Christum omnis fortuna, omnisque conditio acceptatur: ut quid ergo te in aliorum virtute commendas, & adversus pauperem de tui generis excellentia gloriaris.**

Virtutis laus nobis ipsis parienda est, non aliunde sumenda, quia generosi homines ex sua, propriaque, non aliena, aut ascititia virtute judicandi: Unde

de D. Hieron. *ad Celant.* Nulli te unquam de generis nobilitate preponas, neque obscuriores quasque, & humiliore loco natus te inferiores putes. Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum, servum & nobilem de moribus promerit. Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis. Summa apud eum est nobilitas, clarum esse virtutibus. Quid apud Deum in viris nobiliter Petro, qui piscator, & pauper fuit? Quid in feminis Beata Maria illustrius, quæ sponsa fabri describitur? sed illi piscatori, & pauperi cælestis Regni à Christo creduntur claves: hac sponsa fabri meruit esse mater illius, à quo ipsæ claves data sunt. Elegit enim Deus ignobilia, & contemptibilia hujus mundi, ut potentes, ac nobiles ad humilitatem facilius adduceret. Nam & aliàs frustra sibi aliquis de nobilitate generis applaudit, cum universi pariter honoris, & ejusdem apud Deum pretii sint, qui uno Christi sanguine sunt redempti, nec interest qua quis conditione natus sit, cum omnes in Christo aequaliter renascamur; nam etsi obliviscimur, quia ex uno omnes generati sumus, saltem id semper meminisse debemus, quia per unum omnes regeneramur. Et Ambros. *de Noë. c. 4.* Probati viri genus virtutis profapia est, quia sicut hominum genus homines, ita animarum genus virtutes sunt. Et juvenis ille Alexandrinus, teste Baronio tom. 8. an. 600. dicebat: † Vera nobilitas non ex sanguine & carne, sed ex virtute animi accipit formam & claritatem. Et Ofor. *nofter lib. 2. de nobilitate civili.* Omnis generis splendor, & familiae claritas à fonte virtutis ortum habet. Et paulò post: Qui ex virtute laudem adeptus, virtutis insignia posteritati relinquit, & nobilitatis jacet fundamenta. Filius, inquit Ezech. 81. non portabit iniquitatem patris. Et Aug. *super Matth.* ait: Nunquam de vitiis erubescamus parentum, sed unum illud queramus, amplectamur virtutem. Et idem Aug. *ibid.* † Non est omnino nec de virtute, nec de vitio parentum, aut laudandus quis, aut vituperandus: nemo inde verè aut obscurus, aut clarus est, liliam est inter spinas religio, ait idem Aug. si spina ibi pungunt, ibidem flores olent, & sanant. Non ergo contemni debet filius probus ex infimo patre natus; nam splendidum lumen de fumo, liliam candens de sentibus, rubens rosa de spinis exoritur, ita & nobilis vir de ignobili profapia quandoque gignitur. Hac de re Franc. *Patrit. Senensis tom. 2. de Regni & Regis institut.* sic ait: Optimi namque cives, & benè de Republ. meriti, muneribus honoribusque honestandi sunt: deterrimi autem omni fœditatis exemplo afficiendi; quocirca qui deliquerunt mulctandi sunt; parcendum est tamen eorum posteris, fieri enim potest, ut optimis parentibus orti, pessimi fiant, & ex deterrimis nonnunquam optimi, &c. Et paulò inferiùs: Non igitur posteri arcendi sunt parentum culpa perpetuò à Republica, ne omnino felicitatem desperent, cum videant nullam veniam sperandam esse, nullaque virtute sese redimere posse. Fit enim sæpenumero, ut eorum animi ad res novandas promptissimi sint, & desperatio aliquando in virtutem convertitur; facile enim qui periclitantur, Maronis doctissimi Poëtarum sententiam usurpant:

18 Una salus victis nullam sperare salutem.

Non querit igitur Jesus in Petro, nec in Rectoribus Ecclesiæ suæ nobilitatem generis, patriæ splendorem, fumosas Majorum imagines, nihil eorum curæ est Jesu, quæ ad rem Ecclesiæ non pertinent. At quid? Simon Joannis diligis me? Felix Ecclesia si in eligendis ejus Pastoribus Sanctissima hæc observaretur forma, quam observavit CHRISTUS in Petro, ut ille ordinaretur in Ecclesia, qui diligeret, non degluberet Ecclesiam.

19 Generis differentia ubi fit ad Ecclesiastica beneficia, ac publica officia obtinenda, non solum operatur gravia dissidia inter utrumque populum, sed efficit, ut qui novi habeantur Christiani, minus se cre-

dant aliis, & difficiliùs in Catholica puritate solidentur: cum distinctio non parvam vim habeat ad excitandum inter homines dissidia, ex civium discordia Rerumpubl. omnium excidium consequutum fuit, non facile enim dissentientium animi ad publica onera levanda inducuntur, ut ait D. Mar. *Cutell. in C. legum Sicular. cap. 63. nota 73. ad leges Federici, n. 23. propè fin.* Hinc S. Leo *in serm. 5. de Quadragesima*, sic ait: † In omnibus hominibus natura est diligenda communio, quæ nos iis etiam benignos debet efficere, qui nobis sunt quacumque conditione subjecti, quia simul cum istis habemus quod ad imaginem Dei conditi sumus: nec carnali, nec spiritali nativitate à nobis divisi sunt, imò hoc ipso nos per omnia faciunt mitiores, quod eorum utimur subjectione, cum quibus uni Domino eadem subijcitur servitute. Et Seneca *lib. 3. de beneficiis. c. 28.* sic dicit: Eadem omnibus principia, eademque origo, nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium, & bonis artibus aptius, unus omnibus parens mundus est, sive per splendidos, sive per sordidos gradus, ad hunc prima cujusque origo perducitur. Audiamus hac de re S. Cyprian. *in tract. de orat. Dominica*, qui ita ait: Pacificos enim, & concordantes, atque unanimes esse in domo sua Deus precipit, & quales non fecit secunda nativitate, tales vult renatos perseverare, ut qui Filii Dei esse cœpimus, in Dei pace maneamus: & quibus spiritus unus est, unus sit & animus, & sensus. Sic neque sacrificium Deus recipit dissidentis, & ab altari revertentem prius fratri reconciliari jubet, ut pacificis precibus Deus possit esse placatus. Sacrificium Deo est pax nostra, & fraterna concordia, & de unitate Patris, & Filii, & Spiritus sancti plebs adunata, &c. *Plutarch. de Homer. Omne bonum concordie cognatum, omne malum ex dissidio oritur.* Optimè Franc. *Patrit. Senensis in lib. de Regni & Regis institut. tom. 2.* de hac inter cives inæqualitate loquens, sic ait: Non laudandum censeo quod in plerisque civitatibus nostro tempore usurpari solet, & à nonnullis doctissimis viris argumento etiam defendi, ut familia complures perpetuò ab omni publica functione excludantur; qua in re in primis peccatur, & injusti sumus erga concives nostros, qui cum onera nobiscum ferant, à muneribus omnino excluduntur.

Si enim unam fidem, unum Baptisma, unum Deum, & Patrem omnium profiteamur, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis, juxta Apostoli auctoritatem *ad Ephes. cap. 4.* cur hæc Fides, & una Ecclesia à Christo Domino super Petrum origine unitatis, & ratione fundata, in diversas Christianorum species ab hominibus dividi, ac separari possit, verè nescio. Audi D. Cyprian. *lib. 2. epist. 10. ad Cornelium Papam*: Hoc enim vel maximè, Frater, laboramus, & laborare debemus, ut unitatem à Domino, & per Apostolos nobis successoribus traditam, quantum possumus, obtinere curemus, & quod in nobis est, palabundas, & errantes oves, quas quorundam pervicax factio, heretica tentatio à matre secernit, in Ecclesiam colligamus, illis solis foris remanentibus, qui in obstinatione sua, vel furore perseverarunt, & ad nos redire noluerunt, discretionis, & separationis à se factæ, & Ecclesia derelictæ ipsi rationem Domino reddituri. Idem in *lib. de unitate Catholice Ecclesiæ*, sic ait: Deus unus est, & Christus unus, Ecclesia ejus una, Fides una, & plebs in solidam corporis unitatem concordie glutino copulata: scindi unitas non potest, nec corpus unum dissidio compaginis separari, nec divulsis laceratione visceribus in frustra discerpi. *Collofius in sua Hierarchia, lib. 3. cap. 4. §. 1. pag. 671.* ex S. Anselmo ita ait: Neque verò illius quasi despecti persona contemnenda, aut ullius quasi perfecti persona præferenda est, quando in omnibus unus, atque idem est Deus gloriosus. Et ideo exclamat Bravo *lib. 2. de regendi ratione, fol. 40.* stulta hominum differentia, verius honorum monopolia.

Quare statuta, quod neophyti, & descendentes

eis non admittantur ad Ecclesiastica beneficia, non esse probanda censuerunt Turrecr. in cap. constituit, 17. quest. 4. Tolstat. in Levit. cap. 19. quest. 32. Alphonsi. Carthag. in defensorio unitatis Christianae. Henric. Montroy in Apologia contra Archiepiscopum Toletanum, Montalv. in leg. 2. verb. tornaxido, tit. 3. lib. 4. Avendán. de exequend. mandatis, part. 1. cap. 19. num. 20. ubi eleganter, Perez l. 9. tit. 1. lib. 1. Ordin. Torreblanca de jure spirit. lib. 13. cap. 22. novissime D. Mar. Cutell. in Codice legum Sicul. cap. 63. nota 73. ad leges Federici, pag. 211. cum sequentib. & præcipue num. 2. ibi: Idcirco nimiam illum statutorum observationem, quibus descendentes ex Hebrais, vel infidelibus ab honoribus, ac Ordinum Militarium insigniis excluduntur, tanquam Reip. perniciosam, semper suspectam habuit. Ea tamen multis defendere nituntur D. Petr. de la Escalera Guevara in un particular tratado que scribió del origen de los Monteros de Espinosa, su calidad, preeminencias, y essenciones, part. 2. cap. 12. novissime D. Ferdinandus Pizarro y Orellana in tract. de viris illustr. novi Orbis, in dita Ferdinandi Cortes, c. 5. observ. 3. pag. 106. Rojas sing. 104. Hojed. de incompatibilit. beneficior. part. 1. cap. 23. Simanc. de Catholicis institut. tit. 47. num. 82. & 83. Otoror. de nobilit. 2. part. 3. part. cap. 7. num. 6. Gonzal. ad reg. 8. Cancel. glos. 4. num. 16. Perez de Lara de annivers. & Capell. lib. 2. cap. 4. a princ. Metina part. 2. quest. 105. art. 2. Pacian. de consilio sapientis. lib. 1. cap. 10. latissime Ignatius del Villar in sylva respons. lib. 1. resp. 12. num. 37. cum multis seqq. Castill. controvers. tom. 4. part. 2. lib. 5. cap. 123. ex num. 16. Cevall. commun. contra commun. quest. 900. ex num. 84. Valenzuel. tom. 1. conf. 90. ex num. 89. Christoph. de Paz de tenuta tom. 1. cap. 32. ex num. 89. Negari enim non potest, quin lex constituens talem differentiam, generaliter dicatur facta in odium certarum personarum, quo casu vel est nulla, ut censuit Abb. in cap. cum omnes, num. 2. de constitut. ubi Aretin. notab. 4. vel saltem est injusta, ut tenent Bart. in lege omnes populi, sub num. 53. ff. de justit. & jure. Andr. ab Exea in dict. cap. cum omnes, num. 164. & 167. ubi Riminald. num. 17. vers. ex hac expositione. Juvat etiam, quia probationes puritatis sanguinis sunt difficiles, ut optime consideravit Torreblanca in practicab. juris spirit. lib. 13. cap. 22. ex num. 7. his verbis: Probatio autem hujusmodi adeo omnibus difficillima visa est, ut vix unus ex millibus dari possit, qui in rigorosa statutorum acceptione possit satisfacere; nam ad hoc ut quis dicatur non descendere ex Iudeis, aut Mauris, probare debet antecessores suos, qui primi Evangelium susceperant, non fuisse ex Iudeorum, aut Mahumetanorum proluvie, sed ex Gentilismo, seu Paganismo conversos; quod omnino est improbabile, cum tempore promulgationis Evangelii tota Hispania Iudeis scatebat, Ioseph. lib. 20. antiq. Iudaic. cap. 11. & lib. 11. cap. 5. & lib. 14. cap. 1. & seqq. & contra Apion. lib. 1. Philo in Flaccum, Strabo Geographia lib. 5. Lörin. in actis Apostol. cap. 8. Garibay lib. 5. cap. 4. Mariana lib. 4. cap. 4. Puente de las Monarchias tom. 1. lib. 2. cap. 33. §. 1. Peñalosa libro de las excelencias de España, cap. 4. Tum etiam, quia post Maurorum invasiones, fideles adeo in eorum captivitate oppressi fuerant, ut multi eorum qui ad Mahumetanos ritus non transierunt, cum eorum filiabus se copulabant, ut temporalibus honoribus potirentur: & qui in eorum invasione ad Montana Legionis, & alibi se recepérunt, dum Hispaniam recuperarunt, quamplures eorum cum filiabus Maurorum, & infidelium matrimonia inierunt, cum inter ipsosmet Hispanie Reges talia conjugia non fuissent indigna, ut probat Serarius de matrim. heret. cap. 1. & 2. Thom. Sanch. tract. eod. tom. 2. lib. 7. disp. 72. ex num. 2. D. Ioan. Solorzan. nostro saculo ingeniorum phoenix, rare factindia, & exquisita eloquentia vir, in suo doctissimo tract. de jure Indiarum, lib. 3. cap. 5. ex num. 13. Tum de-

num, quia licet non sit tam longa successio querenda (quamvis macula ascendendum ab Adamo impedimentum faciat) quia nec testes, nec instrumenta de illa reperiri possunt, quamvis ad posteriora secula nos convertamus, non minoris difficultatis est probare nullum ex suis progenitoribus maculam contraxisse; nam ut ait Peñalosa in libro relato (quem edidit post memoriale, quod scripsit D. nostro Regi, infra referendum) d. cap. 4. Porque es verdad que a doze generaciones viene a tener cada persona quatro mil y novecientos, y seis ascendientes, y es posible que lengua otros tantos linages, porque no avia de y Andaluzia no ay millon, y medio de vezinos, y por poco que se estiende cada linage, tendra mas de treinte personas, no que se testigo en el mundo pueda deponer de semejante calidad, ni que escrituras se puedan hallar que lo allan en todo. Haetenus Torreblanca.

Verum tribus casibus hujusmodi statuta probanda mihi videntur. Primo quando eorum prohibitio non est indefinita, sed restricta ad certos gradus, veluti intra secundum, vel ad summum intra quartum; quia intra hos gradus poterit esse rationabilis, vel propter odium parentum, vel propter suspicionem, quæ haberi potest, ne parentum crimina imitentur, ut in c. 12. §. cernentes, & in cap. ut commissi, §. credentes, & in cap. statutum, il 2. de heretic. lib. 6. † Ultra vero quartum gradum prohibitio generalis non potest esse rationabilis: tum quia in veteri lege etiam Mohabitæ ultra quartum gradum non repellebantur ab Ecclesia, cap. citò, 1. quest. 1. D. Cutel. d. nota 73. num. 6. pag. 11. tum quia ultra illum gradum, si quæ macula parentes tetigit, præsumitur extincta, l. non facile, ff. de gradibus, cap. non debet, de consanguinit. & affinit. tum denique, quia impossibilis descendentiæ redderetur probatio, juxta text. expressam in cap. licet ex quadam, de testibus, ibi, cum propter hominum brevem vitam testes de visu usque ad septimum gradum deponere non valerent.

Secundo, quando eorum prohibitio est restricta ad certas Ecclesias, veluti quia non præcipit simpliciter, quod neophyti, & descendentes ab eis non possint obtinere beneficium; sed prohibet ne possint illa obtinere in tali, vel in tali Ecclesia; ex eo quod Ecclesia sit valde celebris, & hoc sibi usurpat in signum suæ nobilitatis, juxta tradita per Rotam in una Hispaniensi voti, 21. Aprilis 1597. coram Gypcio, qua ratione Ecclesiæ Toletanæ, & aliarum in Hispania existentium statuta probantur.

Tertio; quando generis distinctio fit per patrum, vel fundatorem in limine foundationis Ecclesiæ; quia conditio adjecta in limine foundationis Ecclesiæ per patronum, vel fundatorem, quod non possint beneficiarii recipi, nisi descendentes ex puris, & antiquis Christianis, valida est, ut resolvunt Otoror. dict. c. 7. n. 26. Perez de Lara de Capellanis, lib. 2. cap. 4. num. 1. & 10. tum quia potest fundator in limine foundationis apponere quascunque conditiones, etiamsi sint contra jus, nisi sint naturæ impossibiles, aut aliàs à jure improbatæ, ut resolvit Lambertin. de jure patron. lib. 1. part. 1. art. 1. quest. 9. num. 52. Rot. in Romana jurispatronatus, 31. Maii 1613. coram Card. Sacrato.

In suprascriptis casibus, quibus statuta, quod neophyti, & descendentes ab eis non admittantur ad Ecclesiastica beneficia, probanda esse resolvitur, eadem pœnalia ac exorbitantia esse; & strictè accipienda, nullus est qui dubitet; tum ex eo, quia auferunt prædictis descendentiis habilitatem, quæ aliàs sibi competet de Jure communi in cap. eam te, de rescriptis: quod cum loquatur de Ecclesia Tornacen. satis probat hoc procedere etiam in Ecclesia nobili; cum Ecclesia illa in Belgio sit pluribus nominibus insignis, & qualificata; & tum multò magis, quia ista pœna illis infligitur propter delicta alterius, cap.

non debet, & ibi glos. verb. non debet, de regul. juris in 6. cum concordant. & in specie, quod talia statuta sunt contra Jus commune, probant Abb. num. 7. Felin. num. 12. Rip. n. 29. vers. ultimo noto, in d. c. eam te, Lambert. lib. 1. g. 2. art. 19. Perez de Lara de Capellan. lib. 2. cap. 4. num. 30. sæpè respondit Rot. ut in Saguntina admissio ad Capitulum, 26. Junii 1587. coram Gypsi, & in Placentina Canonatus, 8. Aprilis 1575. coram Cardin. Blanchetto, & in Toletana portionis, 27. Januar. 1597. coram Illustriss. Mantica, quæ est inter impressas decis. 307. num. 1. & in alia Toletana Canonatus, 10. Decembris 1608. coram R. P. D. Marquemontio, nunc Archiepiscopo Lugdun. & signanter in terminis quarundam Constitutionum contra descendentes ex Hebræis Regni Portugalix emanatas, censuit eadem Rot. in Colimbriensi Canonatus, 13. Junii 1616. coram Illustriss. Sacrato, & iterum in ead. 5. Decembris ejusdem anni 1616. coram Card. Verospio. Unde debent illa juxta verborum proprietatem intelligi, ex resolutis per Federic. de Senis conf. 72. n. 2. Alexand. conf. 76. vers. non obstat, lib. 1. Paris. conf. 29. num. 14. lib. 4. & conf. 30. num. 16. eod. lib.

30 Quare Constitutio, seu Breve fel. record. Clementis VIII. sub dat. 18. Octobris anno 1600. ( quatenus prohibet ne prædictis descendentes ex Hebræorum genere per lineam paternam, vel maternam, & eorum quemlibet usque ad septimam generationem, aliqua collatio, seu provisio fiat de Canonatibus, Præbendis, ac Dignitatibus Cathedralium, & de principalibus Dignitatibus Collegiarum Ecclesiarum, & de Parochiis, ac earum perpetuis Vicariis, cæterisque Ecclesiasticis beneficiis curam animarum habentibus in Portugalix Regnis vacantibus, quam postea extendit fel. record. Paulus V. sub die 17. Januarii 1612. ad Vicarias etiam amovibiles, & tam ad sæculares, quam ad cujusvis Ordinis Regulares Ecclesias curam animarum habentes ) non comprehendit † dimidias præbendas, tertianarias, & quartenarias, aut portionarias in Cathedralibus, quæ non sunt Canonatus, nec habent vocem in Capitulo, ex citatis per Gonzal. ad regul. 8. Cancel. glos. 45. in princip. à num. 29. & in terminis Rota in Ulyssonen. quartenaria, 15. Januar. 1624. coram Reverendissimo D. Decano. Unde dimidios Canonicos, & Portionarios in Cathedralibus virtute Conc. Trident. sess. 24. de reform. c. 12. non teneri Fidei professionem emittere, cum non sint Canonici, neque de Capitulo, resolvunt Garcia de benef. p. 3. c. 3. num. 13. Sanch. in præcepta Decalogi, tom. 1. lib. 2. c. 1. sub num. 1. Circa intellectum dictæ Constit. Clementis VIII. adest in terminis Rotæ decis. 307. p. 2. recentiss. in posthum. aliàs p. 4. recent. ubi num. 5. dicitur dictam Constitutionem non habere locum stante dispensatione Papæ: & num. 7. censet eam non comprehendere filios Judaizantium, sed solum filios Judæorum, & in alia decis. 355. d. p. 2. recentiss. num. 5. & 6. ubi num. 6. subdit quod licet dicta Constitutio de Judaizantibus loqueretur, non tamen esset intelligenda de iis, qui Ecclesiæ fuissent incorporati.

32 Et dum prædicta Constit. loquitur de principalibus Dignitatibus Collegiarum Ecclesiarum, comprehendit unam tantum principalem in qualibet Collegiata, quia pluritas illa resolvitur in singularitates, & respicit tantum pluralitatem Ecclesiarum, à simili deducto ex reg. 3. Cancellaria, aliàs 4. in noviss. ubi per illa verba, principales in Collegiatis Ecclesiis, resolvunt Doctores unam tantum principalem reservari, quos ego ipse refero de offic. & potest. Episcopi, allegat. 45. num. 16. & allegat. 57. num. 7. Principalis verò dicitur dignitas, quæ ex Apostolicæ Sedis indulgentia, vel ordinaria auctoritate, aut consuetudine præscripta, aut aliàs quovis modo in Collegiata principalem præminentiam habet, prout ipsamet reg. 4. Cancellaria declarat: in nostra Lusitania dicitur † Prior,

qui præest toti Canonicorum Collegio, ut in nostra Vimaranensi Ecclesia; in quibusdam verò Hispnaozi partibus vocatur Abbas, alibi Præpositus.

Item sub prædictis Constitutionibus, tam Clementis VIII. quam Pauli V. non comprehenduntur Parochiales Ecclesiæ, quæ perpetuè, & accessorie alicui simplici beneficio, Canonatui, vel Dignitati, ultra principalem in Collegiatis unitæ reperiuntur, etiam per Vicarios temporales ab ipsis beneficiatis, Canonicis, seu Dignitatibus deputandos: quia parochiales Ecclesiæ ab illis tantum prohibita sunt obtineri, ob animarum curam, quam in eis exercere tenentur, & cum non intitulentur in parochialibus annexis, sed in beneficio principali, ideo nullo modo censentur habere curam animarum, per ea quæ dixi infra p. 3. hujus tract. allegat. 66. num. 39. sed tunc cura actualis remanet penes Vicarios. Vitalin. in Clem. 1. à num. 8. de excess. Pralat. quia cura animarum probatur esse penes illum, cui incumbit specialiter jurisdictio spiritualis, idest, administratio Sacramentorum, Mascard. de probation. conclus. 468. num. 1. tum quia † provisos de beneficio, cui unita est accessorie Parochialis habens curam animarum; non tenetur ad gratiæ suæ validitatem exprimere beneficium esse Curatum, quia tale non est quoad se. Rota in Conchenfi beneficii, 12. Maii 1609. coram Illustriss. Card. Sacrato. Quod quidem assumptum sequenti comprobo syllogismo. Nullus potest in animarum cura se ingerere, nisi habeat immediatum titulum ad illam, Felin. in cap. postulasti, de rescript. num. 1. vers. & hoc videtur certum, quando titulus Prælature est immediatus ad curam. Sed habens accessorie, & in perpetuum annexam Parochialem Dignitati, vel Canonatui, non solum non habet titulum immediatum ad curam animarum ipsius Parochialis, sed nec ullum Ecclesiasticum, cujus prætextu se in ipsius cura intromittere possit: nam post unionem ejus nomen, & titulus ita extinctus fuit & suppressus, Doctores in cap. cum accessissent, de constitut. glos. verb. Ecclesiæ, in Clem. per litteras, de præbend. Beltramin. ad Gregor. XV. decis. 112. num. 6. post Oldrad. & Casador. tenuit Rota in Burgen. servitii Decanatus, 13. Junii 1594. coram D. Liita, refert Nicol. Garc. de benefic. p. 3. cap. 2. num. 510. ut in ea nullus amplius possit institui, Franch. in cap. 1. num. 6. vers. non obstat, de filiis Presbyt. lib. 6. Nicol. Garc. de tract. de benefic. part. 11. cap. 5. num. 193. aut alicui conferri, Rot. in Verdunen. Decanatus, 9. Martii 1580. coram Illustriss. Card. Lancelloto, relata per Nicol. Garc. p. 5. c. 1. num. 270. nunquam enim vacare censetur. Rot. decis. 214. num. 5. p. 2. divers. Gom. in reg. de triennali, quest. 8. sub num. 2. Gonzal. ead. reg. 8. Cancel. glos. 5. §. 7. num. 7. Nicol. Garc. p. 12. cap. 2. num. 5. Beltramin. ad Greg. XV. d. decis. 112. num. 5. vers. hinc etiam. Ergo, &c. Nec argumentum evitabit si aliquis dicat pro titulo sufficere † unionis litteras; quia respondetur illas dici non posse litteras de beneficio, sed de proprietate, & re profana, Rot. decis. 2. num. 5. de rebus Eccles. non alien. in antiq. Practicab. Rotæ impressa post 2. p. Decisionum divers. tit. de unionib. num. 13. Nicol. Garc. p. 12. cap. 2. num. 33. tum quia Parochialis præbenda post unionem ita transivit in temporalitatem, Rot. decis. 1. de excessib. Pralat. in novis, Casad. decis. 3. num. 1. de judic. Mantic. decis. 159. num. 1. ut † causa unionis non dicatur amplius causa beneficalis, Casad. d. decis. 3. num. 1. Gonzal. d. glos. 5. §. 7. num. 17. & lis introducta super beneficio ut unito, non sit lis super beneficio. Rota apud Mantic. loco proximè citato, & in Legionen. præstimoniorum de Palacios, 26. Januarii 1595. coram Illustr. Card. Pamphilio, quam refert Nicol. Garc. p. 12. cap. 2. num. 31.

Et concessio, quod in his terminis penes beneficium, seu Canonicum remaneat habitualis cura, translata

translata solummodo actuali in Vicarium temporalem, adhuc talis beneficiatus non includeretur sub dispositione prædictarum Constitutionum, cum clarè comprehendere videantur beneficia Curata & animarum curam habentia, id est, in quibus actu eam quis exercere tenetur, non verò habitu tenet, ut clarè insinuant illa verba Clementinæ Constit. ibi, *ceteraque beneficia Ecclesiastica curam animarum habentia*; cum illa beneficia dicantur habere curam animarum, quæ eam habent actu, non verò habitu, *glos. verb. habentia, in Extrav. Execrabilis, in princ. de præbend. Vitalin. in Clem. 1. num. 4. de officio Vicarii*: tum quia habere est cum effectu, *l. nomen, §. habere, ff. de verb. significat.* Host. *in cap. quia nonnulli, de cleric. non resid.* quem refert, & sequitur Capra *commun. concl. 90. num. 76.* tum quia prædictæ Constitutiones videntur ponderare periculum animarum, ibi, *animarumque periculis occurritur*: quod non videtur subesse, nisi actu & habitu sint curata beneficia, ut in proposito bene docet Capra *d. concl. 90. num. 76. in fine*: tum denique; quia id clarè colligitur ex Constit. Pauli V. ibi, *sub quovis prætextu exercere, nec ad eam exercendam admitti*, &c. Unde cum habeamus claram dispositionem, & verba apertè actum designantia, non sufficit habitus, nisi etiam subsit actus, bene Gemin. *in cap. licet canon, in fine, de elect. lib. 6. & ibi Franch. num. 2. vers. sed Joannes Monach.* Et idè habentem Parochiales Ecclesias accessorie suo beneficio annexas, non censi ratione illarum curam animarum habere, consultit Navarr. *conf. 14. num. 4. vers. qui habet, de rebus Eccles. non alien. in novis*; ex eo quia, ut ait idem Nav. *conf. 10. num. 3. de majorit. & obed. etiam in novis*, per illam annexionem Canonicatus, seu beneficium, quod per se est simplex, non crescit, nec fit Curatum per Ecclesiam Parochialem ei annexam, immò potius Parochialis ipsa recipit simplicitatem beneficii, cui unitur, eo quod unitur, & annectitur beneficio simplici. Facit etiam, quia cum hujusmodi Canonicus teneatur residere tantummodo in Collegiata, ubi existit Canonicatus, non verò in Parochiali accessorie, & in perpetuum illi unita, Rebuff. *in repet. cap. extirpanda, §. qui verò, notab. 4. de præbend. Sacra Congreg. apud Nicol. Garc. p. 12. cap. 2. num. 23.* idè solus Vicarius in ipsa Parochiali constitutus dicitur habere quoad spiritualia dictam Parochiam, & in ea animarum curam, quippè quod ille, non verò Canonicus ex necessitate officii adstringi potest ad administrationem Sacramentorum, & cogere ad se venire Parochianos; juxta *glos. verb. impendant, in Clem. dudum, de sepultur. receptam, Card. ibi quas. 9. Imol. num. 32. Abb. num. 42. Gonzal. ad reg. 8. Cancel. glos. 6. num. 36. Rot. decis. 52. num. 10. p. 2. divers. & apud Mant. decis. 48. num. 5.*

40 Non obstat, quod prædictæ Constit. indistinctè de cura animarum mentionem faciant, ac proinde tam de actuali, quàm de habituali possint intelligi; quia respondetur quod ubi indistinctè fit mentio de cura animarum, intelligendum de cura actuali, non verò de habituali, ut optimè resolvit Capra *d. concl. 90. num. 78.* ex illa ratione, quia verba semper accipienda sunt in potiori significatione, *l. non aliter, ff. de legatis 3.* cum aliis citatis à Monet. *de distribut. quotid. p. 2. quas. 11. num. 100.* & à Card. Tusch. *tom. 8. lit. V, concl. 101.* maxime, quia dicta Brevia sunt odiosa, & exorbitantia à jure, ac proinde restringenda, juxta supradicta *num. 23.* tum etiam, quia materia hæc est pœnalis, in qua verba in potiori significatu accipi debent, ut evitetur pœna, *c. statutum, de elect. lib. 6. Capr. d. conclus. 90. num. 76.*

41 Nec obstat, quod Vicarius deputetur temporalis, quia quando Parochialis accessorie, & in perpetuum alteri beneficio unitur, idem operatur effectus, & eadem cura est penes principalem, tam si constituatur

Aug. Barbosa de Episcop. Pars I.

perpetuus Vicarius, quàm si deputetur ad nutum amovibilis. Ratio est, quia cum de jure communi in Parochialibus annexis debeant constitui perpetui Vicarii, *cap. extirpanda, §. quia verò, de præbend. cap. ad hæc, de officio Vicarii, cap. 1. de capellis Monach. lib. 6.* attamen si de facto, aut ex negligentia Prælatorum, vel consuetudine, aut privilegio Vicarius temporalis deputetur, in hoc casu ubi perpetuus constitutus debet, non sufficit hoc ut exinde colligere debeamus, Vicarium temporalem habere tantummodo Curæ exercitium, habitualem verò ac actualem penes Rectorem existere: nam beneficium unitum in temporalibus potest habere privilegium nominandi Vicarium ad nutum amovibilem, licet eo casu possit Episcopus, si illi videbitur, deputare Vicarium perpetuum, non obstante privilegio, juxta Concilii Trident. dispositionem *sess. 7. de reformat. cap. 6. ibi, etiam perpetuos, nisi ipsi, &c.* Flores de Mena *var. lib. 1. quas. 10. num. 39.* & ideo sacra Congregatio declaravit relinquere arbitrio Episcopi, an oporteat ponere perpetuum Vicarium in Parochialibus unitis Archidiaconatibus seu aliis dignitatibus, teste Garc. *part. 11. cap. 2. num. 9.* Si autem quæras penes quem sit hoc casu beneficii titulus, respondebitur jam non existere, cum fuerit suppressus & extinctus per unionem accessorie factam, quæ alio nomine extinctiva tituli dicitur; curæ verò titulum esse penes Episcopum, Rot. *decis. 309. num. 3. p. 2. divers.* quem ipse Vicarius recipit ab eo, non autem à rectore principalis beneficii, Anchar. *conf. 404. num. 11.* In hac materia (si dubium sit penes quem resideat hæc cura) est multum notanda resolutio, quam firmat Card. Clem. *unic. de offic. vic. num. 10. quas. 9.* quod quando primitiæ, decimæ, & oblationes, quæ dantur ratione curæ, competunt alicui principali, assignata certa portione Vicario, juxta *cap. suscepta, de præbend. in 6.* tunc cura dicitur esse penes ipsum principalem, secus si eas perciperet Vicarius, & assignaret portionem principali; tunc enim diceretur cura esse penes Vicarium; ita Seraph. *decis. 130. num. 1.*

Nec denique obstat *Extravag. execrabilis, in fine, vers. quantum, de præbend.* quatenus decidit illa beneficia Ecclesiastica habere curam animarum, quæ Parochias habent, in quibus ipsa est non per Vicarios perpetuos, sed per Rectores, aut ministros beneficiorum ipsorum, vel illorum temporales Vicarios exercenda; & rationem reddit *ibi glos. verb. temporales;* quia Rector principalis per temporalem Vicarium deserviendo, per seipsum deservire censetur. Quia respondetur loqui de Rectore habente curam animarum in Parochiali, in qua primò, & principaliter est intulatus, qui eam aliquando propter justam absentiam, aliamve similem causam ad certum tempus exercere potest per Vicarium temporalem. Et in hoc casu procedit illa resolutio, quod Rector per temporalem Vicarium deserviendo, per seipsum deservire censetur, quod nullam habet similitudinem cum casu proposito; in quo principalis Canonicus, seu beneficiatus, qui habet annexam Parochialem suo Canonicatui, vel beneficio, non intulatur in Parochiali, sed in Canonicatu, vel beneficio, cui est annexa accessorie, & in perpetuum, Franch. *in cap. 1. num. 7. vers. non obstat, de filiis Presbyt. lib. 6.* Nicol. Garc. *p. 11. cap. 6. num. 193.* nec deputat Vicarium temporalem ob causam, vel ad certum tempus, ob quam, vel usque ad quod Vicaria durat, quasi cessante causa, vel tempore elapso, possit Parochianus curam per se exercere, prout in terminis *cap. cum ex eo, 34. de elect. lib. 6.* sed deputat Vicarium, quamvis temporalem, necessariò tamen ponendum, qui licet ex consuetudine immemorabili, seu privilegio, aut Episcopi permissu possit esse ad ejus nutum amovibilis, Vicaria tamen est perpetuè erecta: Nihil enim inconvenit, nec contrarietatem implicat,

# 110 De officio, & potestate Episcopi,

- 44 implicat, quod † Vicarii dicantur temporales, & Vicaria perpetua sit, quia eodem modo Vicarius Episcopi temporalis est, & tamen Vicariatus dignitas perpetua iudicatur, ut ait Gabr. consil. 32. num. 19. vol. 2. quem refert Sbroz. de officio Vicarii lib. 2. quest. 4. in fine. Sic etiam procedit S. Congreg. decisio, quæ habet: *Vicarium amovibilem in exercitio cura animarum arguere, curam esse penes deputatorem*: quod & manifestè ostenditur in eius fine; dum ibi dicitur, quod residere ipse deputans teneatur, ut refert Nicol. Garc. de beneficio. p. 3. cap. 2. num. 179. declar. 111. & quod si Vicarius non sit perpetuus, sed amovibilis, signum sit manifestum, curam penes eum non residere, sed solum eius exercitium, censuit Rota coram Seraph. decis. 1304. num. 2.
- 45 Provisi in Ecclesiis habentibus statuta, quod in eis non possint recipi nisi descendentes ex puris, & antiquis Christianis, exclusis semper descendentes ex genere Judæorum, Maurorum, vel Hæreticorum, dum petunt admitti, non petunt uti descendentes ex antiquis Christianis, nec se qualificant esse tales, sed petunt immisionem vigore suæ provisionis, quam si Capitulum vult excludere, tenetur probare causam exclusionis, cap. dilecti, de except. l. 1. in princip. ubi
- 46 glos. ff. si quadripart. paup. sec. die. de Jure enim † nemo natus inter Christianos gravatur onere probandi se esse natum ex puris Christianis, sed hoc in dubio præsumitur, cap. veniens, in fine, de Presbytero non baptizato, ubi Cardin. num. 6. Anchar. etiam num. 6. Butr. num. 5. Abb. num. 1. & ideo Capitulum volenti repellere provisum tanquam impurum, incumbit onus probandi impuritatem, ex reg. l. ab ea parte, ff. de probation. & l. 2. de except. & ita sapissimè respondit Rota part. 1. diversor. decis. 176. & apud Seraphin. decis. 50. & 355. & in una Legion. denegata possessionis, 8. Martii 1593. coram Card. Blanchetto, & in Toletana portionis, 2. Martii 1592. coram Card. Mantica, est inter eius impressas decisiones decis. 264. num. 1. & in Oxomen. statuti, 27. Junii 1601. coram bona mem. Peña, & in Legionen. Canonicatus, 3. Junii 1602. coram Reverendissimo D. meo Coccino Rota Decano, & in Toletana puritatis sanguinis, 10. Martii 1504. coram bona mem. Litta, & in Toletana Canonicatus, 10. Decembris 1608. & 23. Aprilis 1609. coram Archiepisc. Lugdun. & sæpe alibi: quæ quidem resolutio procedit etiam quando Capitulum rejecit provisum tanquam impurum; nam si provisos appellavit, in causa appellationis onus probandi impuritatem incumbit Capitulo, sicut incumbit in prima instantia, ut censuit Rota in Toletana portionis, 28. Aprilis 1561. coram Groppevio. Sic etiam in terminis prædictarum Constit. quæ se restringunt ad septimum gradum, incumbit probatio asserenti aliquem esse intra illum ad beneficiorum exclusionem, cum hæc qualitas sit fundamentum suæ intentionis, juxta text. in l. fin. §. in eum, ff. ne quis eum qui in jus vocatus est vi eximat. Glos. in l. eum actum, ff. de negot. gestis, Bart. in l. denuntiasse, §. qui tamen, ff. de adulter. Menoch. de præsump. lib. 2. q. 49. & cons. 301. num. 10. & qui se fundat in tempore, illud probare debet. Rebuff. in tract. nominat. q. 14. num. 10. cum seqq.
- 47 † Statutum verò Toletanum cum utatur verbo, progenies, quod accipitur pro linea descendentium, Lult. C. de emendat. liber. Franch. in c. si pater, n. 10. vers. quarta, de testam. in 6. ideo non exigit probationem maculæ in certo gradu, sed sufficit, quod ipsa progenies sit infecta, Rota in Toletana portionis, 20. Novembris 1691. coram Card. Mantica. quæ est inter eius decisiones impressas decis. 154. num. 7. & 8. In hoc autem statutorum hujusmodi observantiam Reip. perniciosam, & suspectam existimat D. Mar. Cutel. in suo Cod. legum Sicularum, ad c. 63. nota 73. legum Federici, n. 2. eo quod ex cursu immemorialis temporis, ac post quinque generationes, quæ omnes piè vixerint, suspicio transfusa

per ascendentes perfidæ, ac Fidei frangendæ periculum, per quæ successores honoribus arcentur, penitus cessat, ut multis probat idem D. Cutellus ubi supra, n. 5. & 6. quare num. 17. se exoptare maximè asserit, ut clementissimus Rex ad determinatam formam redigere faciat, ne generis puritas ultra immemorabilem, vel certum annorum spatium curiosius inquiretur, utque omnes cujuscumque civitatis, vel villæ incolæ, qui in hac quasi possessione manent, in Albo conscribantur, ne sine optimatum voto, ac summorum ordinum probatione deinceps admittantur, vel qui recenti suorum impuritate notati sunt, ac ut admissorum posterii puberes facti, filiatione probata cooptentur; ad quod inducendum nimium defatigatur Frater Hieron. à Cruce, Religionis S. Hieron. alumnus, in libro quem scripsit in defensionem statutorum, & nobilitatis Hispana, Cæsaraugustæ impresso de an. 1637. Quod autem non sine dolore in mentem quandoque venit, illud est quod in nostra Hispania plebei, qualescunque sint, spurcissimi etiam ordinis, ob ignotum ascendendum genus, nullam ex hoc capite controversiam patiantur; nobilissimi tamen, ac generosissimi viri in dies ob remotissimam, ac sæpè confictam affinitatem cavillantur, ac honoris augendi studio mirificè dehonorentur, ut ingeniosè advertit D. Cutellus d. loco, num. 8. & 9.

48 Illa principalis resolutio, quatenus habet Capitulum volenti repellere provisum tanquam impurum, incumbere onus probandi impuritatem, non procedit quando causa appellationis interpositæ per provisum esset deserta: tunc enim ipse gravatur onere probandi se purum. Rota apud Seraph. decis. 255. ante num. 2. & in Toletana Canonicatus, 13. Novembris 1609. coram Card. Lancelloto, ex ea ratione, quia hoc casu insurgit præsumptio pro gestis pro Capitulo, & provisos venit per vim restitutionis in integrum, vel querelæ, & tunc tenetur justificare causam suam, & ostendere plenè justitiam sententiæ, Innoc. in cap. teneor, de sentent. & re judic. Item etiam non procedit eadem principalis resolutio, quando pro parte Capituli est probata aliqua macula, quia tunc si provisos vult illam diluere, tenetur probare se purum explicitè, & positivè, Rota in Toletana Canonicatus, 13. Novembris 1609. coram Card. Lancellot. jun. & apud Seraphin. decis. 50. vers. quod si Capitulum. Nam etiam facta probatione impuritatis ex parte Capituli, potest provisos contraria probatione probare suam puritatem, Rota coram Card. Seraph. loco proxime citat. Et si conjungat fieri duplicem probationem æqualem, nempe puritatis, & impuritatis, semper prævalet illa quæ pro puritate est, quia in concursu semper prævalet fama bona, c. cum in tua, ubi Abb. n. 10. de spons. Rota in præcitata Toletana Canonicatus, coram Card. Marquemontio, & in alia Toletana portionis, 22. Junii 1609. coram Card. Sacrato, & in altera Toletana portionis, 2. Maii 1592. coram Card. Mantica, quæ est inter eius decisiones impressas decis. 274. num. 12.

49 Cum probatio, seu informatio de genere fiat per commissarios à Capitulo deputatos, summarè, & sine causæ cognitione, & consequenter exceptionem rei judicatæ nunquam præstare possit, si ea semel facta prætendens fuerit in ea impurus repertus, poterit petere iteratò fieri informationem, Perez de Lara de annivers. & Capellan. lib. 2. cap. 4. num. 98. ubi num. 20. & 21. ex eadem ratione resolvit, semel admissum ad unam Ecclesiam, si petat se admitti ad aliam, egere nova probatione, nisi fortè fuerit admissus per sententiam laram in contradictorio judicio, quia tunc facit jus quoad omnes causas, cap. in causis, de sentent. & re jud. l. fin. ubi Doctores, C. de legibus. † Exceptio impuritatis sanguinis cum sapiat objectum, debet plenè, & concludenter probari, cap. super his, de accusat. cap. antecedens, de elect. cap. 2. & cap. ut circa, eod. tit. in 6. & in specie fuit dictum

in predicta Legionen. coram Blanchetto, & in Toletana portionis, 6. Novembris 1595. coram Illustriss. D. meo Cardinali Millino, & in d. Toletana Canonatus, 16. Septembris, coram Card. Marquemont. ideo † per famam concludenter probari non potest, nisi sit perpetua, & illæsa apud omnes, & appareat oriri potuisse ex aliqua probabili causa, quæque contrariis probationibus non debilitetur, ut tenuit Rota in dicta Toletana portionis, coram Card. Mantica dicta decis. 274. n. 9. & in Ovetan. Canonatus, 24. Junii 1607.

coram Card. Cavallerio, & in d. Toletana Canonatus, 10. Septembris 1608. coram Card. Marquemont. & in Legionen. puritatis sanguinis, 26. Martii 1631. coram R. D. Queipo, nunc Episcopo Pampilonen. & in Corduben. dimidia portionis, 11. Februar. 1628. coram R. Duran, olim Episcopo Urgellen. nunc verò Tarraconensi Archiepiscopo, est inter ejus impressas decis. 131. novissimè post aliquas hujus tract. impressiones Escobar de puritate & nobilit. proban. p. 1. quest. 10. §. 4. num. 9. & 11.



TITULUS TERTIUS.

De vera Patriarchalium Sedium erectione.

CAPUT PRIMUM.

De Patriarchis in genere, & de eorum præcedentiis, potestate, & privilegiis.

SUMMARIUM.

- 1 Patriarchæ præcipui & veri, quatuor sunt post Sanctissimum Papam, qui est Patriarcha Patriarcharum, videlicet Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, & de quaternario numero.
- 2 Papam non esse Prælatum, ac Superiorem cæterorum Patriarcharum, hereticum est dicere.
- 3 Patriarchæ idè quatuor sunt post Summum Pontificem, quia quatuor Evangelistarum in Ecclesia Dei vices gerunt.
- 4 Romana Ecclesia Patriarchali honore fungitur, quia ad eam jubente Domino ex Antiochia Cathedram suam transfudit Petrus.
- 5 Alexandrina Ecclesia Parochiali honore fungitur, quia B. Petri nomine à Marco Evangelista ejus discipulo consecrata est.
- 6 Antiochena Ecclesia Patriarchali honore fungitur, quia prima fuit beati Petri sedes.
- 7 Constantinopolitana Ecclesia à Summis Pontific. Patriarchalis honos Imperatorum precibus datus est, ut scilicet post Romanum Pontificem primatus haberet honorem.
- 8 Hierosolymitanus Episcopus quartum Patriarchalis sessionis locum, & honorem habuit.
- 9 Hierosolymitana Ecclesia, si antiquitas spectetur, omnes, ac etiam Romanam videtur excedere.
- 10 Episcopus primus fuit S. Iacobus in Hierosolymitana Ecclesia constitutus.
- 11 Antiochia primùm sedit B. Petrus antequam Romam cathedram transferret.
- 12 Urbes Regiæ, quæ in Orbe fuerint celebres, ostenditur.
- 13 Patriarchalis dignitatis titulus Romane, Alexandrine, & Antiochena Ecclesiis à principio datus fuit, habito respectu ad honorem Cathedra beati Petri.
- 14 Romana Ecclesia quare primatum obtineat, ostenditur.
- 15 Alexandrina Ecclesia idè præcedit Antiochenam antiquiorem, quia Augustalis dicebatur, & magnificentia præ cæteris erat insignis.
- 16 Antiochia princeps erat, & Metropolis totius Syriae.
- 17 Patriarchalis prærogativa, & dignitas primò, & immediatè pendet ex Summorum Pontificum, & Conciliorum autoritate.

Aug. Barbosa de Episcop. Pars I.

- 18 Patriarcha unde dicatur, remissivè.
- 19 Pallium Patriarchis Summus Pontif. tribuit, Archiepiscopi verò ab eisdem Patriarchis accipiunt.
- 20 Pallium à solo Romano Pontifice dari potest.
- 21 Patriarchæ ex autoritate sibi à Romano Pontifice concessa pallia Archiepiscopis concedunt.
- 22 Doctores referuntur, qui de pallii etymologia, & usu tractarunt.
- 23 Crucem elatam Patriarchæ præ se ferre liberè possunt, præterquam in Urbe Romana, aut ubique Summus Pontifex, vel ejus Legatus de latere fuerit.
- 24 Archiepiscopi extra provinciam Crucem præ se ferre non possunt.
- 25 Crux, quam Patriarchæ ubique præ se liberè ferre possunt, qualis esse debeat, ostenditur.
- 26 Appellari potest ad Patriarchas in omnibus causis suarum provinciarum.
- 27 Appellatio gradatim, non omisso medio est interponenda.
- 28 Patriarchis jure ipso singulari prærogativa indulgetur, ut ad eos omisso medio in omnibus suarum provinciarum locis possit appellari.
- 29 Cap. antiqua, de privileg. declaratur.
- 30 Patriarchæ Regibus, aliisque principibus superiorem non habentibus equiparantur.
- 31 Patriarchæ Summorum pontificum privilegiis, & prærogativis utuntur.
- 32 Patriarchis Romani pontificis insigniis, & ornamentis uti fas est.
- 33 Legatus de latere insigniis, & ornamentis Romani pontificis uti potest.
- 34 Patriarcharum jurisdictio in omnes Archiepiscopos, & Episcopos suos est ordinariæ, & suprema.
- 35 Patriarchæ possunt dispensare cum Episcopo, vel alio beneficiorum collatore sibi subiecto, qui ob malam beneficiorum collationem fuerat à Concilio suspensus.
- 36 Excommunicatos à Suffraganeis suis absolvunt Patriarchæ.
- 37 Privilegia, quæ patriarchis ex jure concessa reperiuntur, quatuor tantum primariis, & veris competunt, non verò aliis, qui improprie hoc nomine usitata voce appellari solent.
- 38 Patriarchales quinque Ecclesiæ quare in Urbe constitutæ ostenditur.
- 39 Patriarchæ etiam hodie non tantum debent esse, sed de necessitate ad Concilium generale vocandi sunt.
- 40 Patriarchalium Sedium tractatio quare adhuc utilis, ostenditur.
- 41 Schismatici in patriarchalibus provinciis degentes audent pseudopatriarchas de facto eligere.
- 42 Pseudopatriarcha de facto in patriarchalibus provinciis

viciis constituti, aliquando diversis legationibus, ac procuratoriis mandatis Romano Pont. obedientiam dederunt.

- 43 *Moses Mardenus Antiochenus Patriarcha anno 1552. Fidei professionem fecit.*  
 44 *Gabriel Alexandrinus Patriarcha Rome 15. Ianuarii 1595. per suos Legatos Fidei professionem fecit, obedientiamque Romanae Sedi ac S. D. Papae Clementi VIII. in Consistorio promisit.*  
 45 *Patriarchales provincias redivisas ad Catholicos Patriarchas praedixit Sancta Brigitta.*

**Q**UATUOR sunt in universo orbe praecipui, veri, & maximi Patriarchae, ultra Sanctissimum Papam, qui est Patriarcha Patriarcharum, videlicet Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus. Durant. in *rationali divin. lib. 2. cap. 1. num. 18.* Host. in *sum. tit. de auctoritate, & usu pallii, num. 4.* Catech. Roman. ex decreto Sacri Concilii Tridentini jussu Pii V. editus *part. 2. cap. 7. de Ordinis Sacramento, num. 27. tit. de Sedibus antiquis Patriarcharum, Matth. Ugon. de praestantia Patriarch. colum. 3. vers. posteaquam, & col. 4. versic. si de primariis, Covar. variar. lib. 4. cap. 14. n. 13.* Petr. Gambar. *de officio Legati lib. 2. c. 1. num. 13. tit. de variis ordin. num. ... Alvar. Pelag. de planctu Ecclesiae lib. 2. art. 11. & art. 17.* August. Beroi. in *cap. 1. num. 2. de judic. Joan. Monach. in c. fundamenta, num. 6. & ibi Archid. num. 8. de elect. lib. 6. S. Antonin. in sum. part. 3. tit. 20. cap. 4. in princ. Paul. Orian. in repet. l. 1. num. 23. ff. de officio ejus, cui mandata est jurisd. Rebuff. in repet. c. cum super, in princ. notab. 1. de causa possess. & in concord. Gallia, in rub. de collation. in §. si quis vero, in verb. Patriarchalis, Rodolph. Cupers *de sacrosancta Ecclesia, ad c. oportebat, 79. dist. in §. ad quem casum, num. 16. & in §. patet, n. 2. Medices de legib. part. 1. quest. 12. num. 1. Flamin. de resign. lib. 2. quest. 1. num. 51.* Marc. Anton. Marsil. *de Ecclesiasticis reddit. part. 1. cap. 16. num. 1.* Raym. Ruffus in *Molineum pro Pontif. Max. sub num. 14. pag. 75.* Anton. August. in *epit. veteris Iuris Pont. p. 1. lib. 2. tit. 2. 3. 4. & 5.* Joan. Paul. Lancelot. in *instit. Canon. lib. 1. tit. de Episcopis, vers. Patriarcha, Bertach. de Episcopo, in probl. num. 5.* Mant. *de Concil. num. 76.* Gig. *de resident. Episcoporum, c. 18. num. 8.* Gregor. l. 12. *verb. que se llamen Patriarchas, tit. 5. part. 1.* Redoan. *de simon. part. 1. cap. 16. num. 5.* Petr. Gregor. in *c. conquerente, de offic. Ordin. cap. 2. num. 5. & syntag. Iuris lib. 15. cap. 5. num. 3.* Anast. Germon. *lib. 2. de sacrorum immun. cap. 5. num. 17.* Selev. *de benefic. part. 1. quest. 2. num. 40.* Chassan. in *catalogo gloria mundi, part. 4. consid. 9.* Ludov. Gom. in *c. cum in multis, pag. 92. de rescript. num. 6.* Filliuc. *de benefic. tract. 41. cap. 2. num. 35.* Galp. Valasc. in *repet. l. imperium, n. 100. ff. de jurisd. omnium jud. Lancel. Conrad. in templo omnium Iud. lib. 2. cap. 2. §. 3. num. 2. & cap. 3. num. 4.* Dionys. Paul. *de vera quatuor Patriarch. Sedibus erect. c. 2.* Filliuc. in *quest. moralib. tract. 41. cap. 2. num. 35.* Monet. *de conservator. cap. 5.* Aubert. Miræ, in *lib. cui titulum fecit, Notitia Episcopatum, lib. 1. cap. 1.* Lotter. *de re benefic. lib. 1. quest. 9. a num. 12.**

De quaternario numero multi multa scripserunt exemplo Democriti, qui librum integrum de illo composuit: videndi sunt S. Thom. in *opusculo 71.* S. Bernard. in *serm. de quadruplici debitore, & in serm. de quatuor modis orandi, & in sentent. Cael. Rhodig. lib. 12. lectionum antiq. cap. 9.* Petr. Bung. *de mystica numerorum significat. sub tit. de numero quarto, Chassan. in catalogo gloria mundi, part. 12. consid. 37. in princ. in vers. de laude vera quaternarii, Ludov. Gom. in repet. c. cum in multis, num. 74. cum seqq. maxime num. 95. de rescript. in 6. Thom. Actius *de ludo schaccorum, quest. 6. num. 103. cum seqq. & maxime num. 107. & 108.* ex quibus praecipue deducuntur, quod quatuor sint*

flumina Paradisi, quatuor Coeli partes, quatuor anguli, & partes terrae, & quatuor principales venti, elementa quatuor, complexionones hominum quatuor, anni tempora quatuor, tempora magna ab Adam usque ad finem saeculi quatuor, liberi arbitrii status quatuor, charitatis gradus quatuor, cardinales virtutes quatuor, musicae artis voces & rationes quatuor, convivii partes quatuor, Astrologiae partes quatuor, affinitatis, consanguinitatis gradus quatuor. Animus constat ex quatuor, cognoscitur Deus per naturae modos quatuor, idem operatur modis quatuor, & apud omnes ferè gentes ejus nomen scribitur litteris quatuor: denique quatuor sunt praecipuae regulae Mendicantium, quatuor sacrosancti Domini nostri Evangelistae, quatuor primi Ecclesiae Doctores, quatuor memorabiles in sacra Scriptura quadrigae, quatuor Rotae, quatuor Cherubini, & quatuor admiranda animalia oculis plena, quae signanter praedictos quatuor Patriarchas representant. Et antequam de uniuscujusque erectione distinctè, & in particulari aliquid dicamus, de eorum ordine, & praecedentia aliqua oportet breviter praenotare.

De Primatu Romanae Ecclesiae super omnes alias immorandum non est, quia licet fremant haeretici, inter Catholicos certissima est, & indubitata, plurimisque antiquorum Canonum, & generalium Conciliorum decretis firmata conclusio, ut infra *hoc tit. c. 2.* probabimus; interim tamè quoad hoc propositum illud est observandum, quod Romanus Pontifex non sic est habendus primus in ordine aliorum quatuor Patriarcharum, sicuti est Constantinopolitanus respectu Alexandrini, & Alexandrinus respectu Antiocheni, & Antiochenus respectu Hierosolymitani; quia in illo non est sola praelatio ratione loci aliorum Patriarcharum, verum etiam est vera majoritas, supremaque potestas, ut optimè contra haereticos advertunt Francisc. Turrian. in *schol. ad c. 39. Niceni Concilii, Læ. Zecch. in tract. de Romano Pont. in haeresi 3. in resp. ad 17. Card. Bellarm. tom. 1. controvers. 3. lib. 2. cap. 18. vers. argumentum 3. & versic. seq.* Hic etiam est verus, & Catholicus sensus Justiniani Imper. in *novella 131, de Ecclesiasticis titulis, collat. 9. in princ.* in illis verbis: *Sanctissimum senioris Romae Papam primum esse omnium Sacerdotum;* nam quamvis Dionys. Gotofred. verba illa interpretatus fuerit in hunc modum, *Primum esse omnium,* id est, *primum sedere,* allegando Julianum *ibid. num. 507.* ita exponentem; innuunt tamen sine dubio dicta verba majoritatem ac Primatum Pontificis, prout illum iisdem verbis docuit S. Thom. *contra errores Graecorum,* quem citant Paul. Gryfald. in *decisionibus Catholicae Fidei, verb. Papa, num. 1.* Lotter. *dict. lib. 2. quest. 9. a num. 7.* Sebast. Cæf. in *relect. de Eccles. hierarchia, part. 1. disp. 1.* Jacob. Sirmond. *apolog. in Eucharistic. Salmasii, lib. 2. c. 27.* Illustriss. D. Acuña *de primatu Eccles. Bracharen. c. 4. a princ.* Unde Gabriel ille nonagesimus septimus (secundum suam computationem) Alexandrinus Patriarcha, in legatione, & epistola obedientiae missa S. D. Clementi VIII. *sub dat. Alexandria, 22. Novemb. 1593. & lecta Romae in sacro Consistorio die 15. Januarii 1595.* statim in principio, eundem sanctissimum in titulo, & in scriptione epistolae principem Patriarcharum appellat. Haec enim sunt ejus verba: *Tibi Domino, Patrum Patri, Patriarcharum principis tertio decimo Apostolorum gloriosi Domini nostri Jesu Christi, & quatuor sanctorum Evangelistarum, S. Petri Apostoli successori, quae refert Card. Baron. (scholium faciens ad Catholicum dictorum verbum sensum) tom. 6. annal. pag. 691. & seq.* Haereticum est enim asserere Papam non esse Praelatum, ac superiorem ceterorum Patriarcharum, ut in terminis post S. Thom. advertit Paul. Gryfald. in *decisionibus Catholicae Fidei, verb. Papa, num. 4. & 10. & verb. Patriarcha,*



& detestando impium Carolum Molinæum, probat Raymund. Ruffus in *Molinæum pro Pontifice Max. sub num. 8. pag. 19. vers. primatum.*

- 3 Quare ad alios deveniendo inquirenda est ratio cur eorum Ecclesiæ, Constantinopolitana scilicet, Alexandrina, Antiochena, & Hierosolymitana Patriarchatus dignitate fuerint exornatæ: ponunt nonnulli in eo, quia quatuor Evangelistarum in Ecclesia Dei vices tenent, ad similitudinem quatuor animalium, quæ Joannes vidit, *Apocal. cap. 4.* Unde ad Patriarchas etiam deducere videtur Pontifex in *cap. scriptum 40. in princ. de elect. & post Roman. consil. ult. hoc est, sermone 1. Basilicæ habito, num. 20.* scribit Gonzal. ad *reg. 8. Cancell. gloss. 41. num. 2.* & ante eum Chassan. in *catalogo gloriæ mundi, part. 4. consid. 9.* Verùm alii melius considerant tres tantùm Ecclesias Patriarchales à principio fuisse, quas Beatus Petrus instituit, scilicet Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam, quarum meminit text. in *cap. clericos, vers. Patriarchæ, 11. dist.*
- 4 † Romanam, quia ad eam, jubente Domino, ex Antiochia Cathedram suam transtulit Petrus, ut refertur in *cap. per venerabilem, vers. sanè, qui filii sunt legitimi:* tum quia Petri, & Pauli glorioso martyrio coronata est, & ex aliis rationibus, quas expendemus infra hoc capite. † Alexandrinam, quia beati Petri nomine à Marco Evangelista ejus discipulo consecrata est. † Antiochenam, quia prima fuit beati Petri Sedes, & ideo ejus nomine eam celebrat Ecclesia, ibidemque primum Christianorum nomen accepit initium, quæ omnia ex Anacleto ponit Gratianus in *cap. sacrosancta, versiculo Prima ergo sedes, 22. dist.* & deducitur ex antiquissimo Nicæn. Concilio *cap. 6.* refertur in *cap. mos antiquis, 65. distinct.* me citato in hoc loco, Illustriss. D. Acuña de *Primatu Eccles. Brachar. cap. 2. num. 2.* Postmodùm idem honor Imperatorum precibus † Constantinopolitanæ Ecclesiæ à Summis Pontificibus datus est, ut scilicet post Romanum Pontificem Primatus honorem haberet, refertur in *cap. Constantinopolitana, 22. dist.* explicat latè Card. Bellarm. *tom. 1. de Romano Pontif. lib. 1. cap. 24.* & multi quos refert Henriq. in *sum. lib. 10. cap. 29. §. 1. & 2.*
- 8 Deinde, quia moribus, & antiqua traditione † Episcopo Hierosolymitano (quamvis Cæsareæ Archiepiscopo suffraganeus esset) honos deferrebat, ut sederet statim post Patriarchas, etiam supra suum Archiepiscopum, hujusmodi honorem servandum illi esse statuit Nicæna Synodus relata in *d. cap. quoniam mos, 61. dist.* quia Hierosolymitanus Episcopus quartum quidem Patriarchalis sessionis locum, ac honorem habebat, non tamen propterea à subjectione Cæsarensis, quæ Metropolitana erat, exemptus.
- 9 Verùm hujusmodi ordo in prædictis Patriarchalibus Sedibus non rectè dispositus esse videtur, quia in eis constituendis vel attendimus antiquitatem Ecclesiarum, vel dignitatem fundatorum, aut Prælatorum, qui eis præfuerunt, vel locorum amplitudinem, ut considerare videtur Anacletus in *cap. illud, & in cap. Episcopi, 80. dist.* Si enim antiquitas attendatur, Hierosolymitana omnes, ac etiam Romanam videtur excedere; eam enim pro totius Ecclesiæ matre proponit Regius vates David *Psal. 109. vers. 4. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion,* quod de Christi regno, & Evangelii prædicatione ex Patribus benè explicat Genebrard. *ibidem,* adducens auctoritates *Isai. cap. 2. vers. 3. & Michææ cap. 4. vers. ex Sion exhibit lex:* & quia Christus Dominus ab Hierosolymis prædicandi Evangelium sumpsit exordium: unde non immeritò Beatus Clemens *lib. 1. recognit. cap. 10. fol. 17.* (si hujusmodi libros ab eo esse conscriptos verè asserere possimus) Hierosolymitanum Episcopum appellat Principem Episcoporum, dum ait: Jacobum Episcoporum Principem Sacerdotum Princeps orabat. Sic etiam in Constantinopolitano Con-

Aug. Barbosa de Episcop. Pars I.

cilio Theodosii temporibus in epist. ad Ecclesiam Romanam dicitur Hierusalem mater omnium Ecclesiarum.

Si verò Prælatorum dignitas spectetur, eadem Hierosolymitana Ecclesia præferenda videbatur, quia ibi primus Episcopus fuit Sanctus Jacobus Apostolus frater Domini, & post eum Simon etiam Apostolus, & frater ipsius Domini, unde sequitur Alexandrinam debere præcedere, in qua sedit Marcus Apostolorum discipulus. † Immo & ipsam Romanam, omnesque alias videtur præcedere Antiochena, in qua Petrus Apostolorum Princeps primò sedit, priusquam Romam Cathedram transferret, ut constat ex *d. cap. sacrosancta, vers. tertio,* text. optimus in *cap. rogamus, 24. quest. 2.* & ex Patribus antiquis contra Onuphrium in *addit. ad Platinam de vitis Pontificum,* tenentem prius Petrum Romæ instituisse Sedem, diligenter comprobat Cardinalis Cæsar Baron. *anno Christi 39. pag. mihi 311.* & ex D. Hieron. Beda, Cano, Cordub. & Covar. plurimisque aliis confirmat Henriq. *d. cap. 29. §. 1. littera D.* Quæ rationes à fortiori concludunt Constantinopolitanam præcedere non debuisse Antiochenam, & Hierosolymitanam, neque etiam Alexandrinam, quæ à Marco Evangelista nomine ipsius Petri fundata est, eique primus præfuit, unde primum locum post Romanam tenere probat text. in *dict. cap. sacrosancta.*

Si denique ad locorum amplitudinem attendamus, plures alias reperiemus Regias urbes, in quibus Imperatorum Sedes fuerunt: in Oriente scilicet, Nicomediam, ubi sedit Diocletianus: in Occidente Mediolanum, unde Maximianus Africam, & Italiam regebat, & Treverim, unde Constantius Constantini pater Gallias, & Britannias gubernabat, ut profequitur latius Card. Bellarm. *mihi epist. 52.* inter opera S. Clementis, *fol. 361. ad med.* & ante eum difficultatem sensit Card. in *cap. antiqua, opposit. 1. & 2. de privil. Mendoz. quest. 4. scholast. §. 4. in 5. argum.* Tum etiam, quia in divinis rebus statuendis hanc rationem ex loci amplitudine non attendi, docet Leo Pontifex *epist. 54.* secundum eundem Bellarm. *loco proxime citato.*

Pro perfectiori igitur prædictorum resolutione à nobis inquirendum est, quare certis Ecclesiis titulus hic Patriarchalis dignitatis fuerit attributus, & deinde cur in illis tribus civitatibus potius, quam aliis totius Orbis beatus Petrus Ecclesias eligi voluerit, quibus præhabitis facile constabit, ordinem Patriarchalium Sedium supra positum rectè constare. Ad primum igitur respondetur, à principio quando primis Patriarchis datus est, & attributus titulus Patriarchalis dignitatis, respectum habitum fuisse ad honorem Cathedræ beati Petri Principis Apostolorum, ut scilicet & merito major honos illis deferretur Ecclesiis, quas ipse per se erexit, & rexit, vel per discipulos erigi iussit, ut de Romana, Antiochena, & Alexandrina supra diximus: & ideo tres has solummodo à principio Patriarchales fuisse probat *dict. cap. sacrosancta,* & latè explicat Bellarm. *dict. cap. 24.* licet deinde aliis idem honor sit attributus, de quibus supra, & notavit Polydor. *Virgil. loco citato.* Ad secundum respondetur fatendo beatum Petrum in illis tribus civitatibus potius quam aliis totius Orbis Patriarchales Ecclesias erigendo ad locorum amplitudinem, & dignitatem respexisse, ut scilicet in eis locis, in quibus erant Gentilium primates, primi essent legis Evangelicæ Prælati, ad abolendam idololatriam, & ad majorem Christiani nominis gloriam, ac faciliorem Evangelii prædicationem, ut docent Lucius Papp, Beatus Clemens, & Anacletus in *cap. 1. & per totam 80. dist. & in cap. 1. dist. 99.* eamque rationem latè confirmat in eodem proposito Cardin. Baron. *dict. tom. 1. pag. 310. cum sequentibus.*

14 Ex quibus jam facile constat, jure optimo Ecclesiam Romanam obtinere Primatum super omnes alias universi Orbis, tum propter autoritatem Petri Apostolorum Principis, & ipsius Christi Vicarii, qui in eadem, jubente Domino, relicta Antiochia, Sedem Apostolicam constituit, eamque martyrio suo, & Pauli coronavit: tum quia Roma Regia est Imperatorum Sedes, ut elegantissima Hieronymi verba *lib. 2. adversus Jovinianum, in fine*, demonstrant: *Urbs potens, Urbs Orbis domina, Urbs Apostoli voce laudata*. Hinc Petrarcha: *Hoc affirmo*, inquit, *quod totius humanae magnificentiae supremum domicilium Roma est, nec est ullus tam remotus terrarum angulus, qui hoc neget*. Propterea idem Petrarcha *in invektiva contra Gallum*, ait: *Roma mundi caput, Orbis Regina, sedes Imperii, arx Fidei Catholica, fons omnium memorabilium exemplorum*. Quod autem caput mundi meruerit appellari, ex eo factum videtur, quod Romulus jam vita functus Proculo apparuerit, dicens: *Abi, nuntia Romanis, Caelites ita velle, ut mea Roma caput sit Orbis terrarum: ut iisdem verbis de Romulo agens, refert Titus Liv. lib. 1. ab Urbe condita*. Vel ex eo quod humanum caput repertum fuerit à jacentibus fundamenta Capitolii, ut observavit Mynsing. *in §. quam formam 1. Instit. de satisfat.* Utcumque sit, indubia res est, quod Roma juris utriusque autoritate caput mundi appelletur, patet *in cap. fin. de foro comp. & in l. Rom. ff. ad municip. tradunt Alciat. lib. 2. dispunct. c. 21. & Mandos. in reg. 10. Cancel. cap. 10. n. 4.* in ea siquidem, tanquam in communi omnium patria, sunt ferè omnes nationes de mundo, ut dixit Burgos de Pace *in repet. c. cognoscetes, num. 210. de consir.* & Joan. Quintin. (licet cum aliqua nota Curia) *in repet. cap. de multa, num. 110. de prebendis*. Nec mirum est, si aliqui qui domi manentes illustres videbantur, Romæ pro nihilo habeantur, quemadmodum enim terræ flumina, quamvis ampla, & profunda, nomen amittunt mare ingressa, ita & Doctores domi clari, & inter suos egregii, Romanam ad euntes Curiam, inter majores nomen amittunt.

15 Constat etiam ratio, quare Alexandrina Ecclesia præcedat Antiochenam; quamvis enim Antiochena erecta fuerit à Petro ante Alexandrinam, quæ ejus nomine à Marco fuit instituta; quia tamen præfectura Alexandrina, quæ Augustalis dicebatur, ab Augusto suo nomine insignita, magnificentia præ cæteris ab eodem fuit nobilitata, & in Ægypti provinciis, & un. verso ejus imperio jus dicebat, ut constat ex text. *in l. 1. ff. de offic. Præf. Augustalis*, quem diligenter exornat Cardin. Baton. *in Martyrol. die 20. Octobris, in Beato Arcenio*, merito superior erat præfectura Syriæ, ad quam Antiochia pertinebat, & consequenter eadem consideratione, primus etiam honos post Romanam Ecclesiam ejus Patriarchis à Summis Pontificibus datus est, ut explicat idem Baron. *dict. tom. 1. pag. 310.* Neque satis concludit alia ratio, quam affert anno 46. Christi, *pag. 407.* quæ etiam placuit Cardinali Bellarm. *cit. loco, cap. 24.* quod Alexandrina primum obtinet locum post Romanam, quia eam Marcus Petri nomine erexit: non enim ideo sequitur, quod debuit præcedere Antiochenam, cui Petrus ipse primò, & principaliter præfuit.

16 Deinde constat ratio, quare in illo principio, & tempore Anacleti Antiochena præcedebat Constantinopolitanam; quia tunc Constantinopolis non erat, quin Bizuntina Ecclesia, etiam postquam Constantinopolitana dicta est, diu fuit semper Episcopatus sub Archiepiscopo Heracleensi; Antiochia verò tunc princeps erat, & Metropolis totius Syriæ, cui & Palestina, & ipsa Hierosolyma subjacebat, ut aperte voluit significare Canon prædictus Nicænæ Synodi, relatus *in dicto cap. quoniam mos, 65. dist.* dum constituens, ut Hierosolymorum Episcopo honor iste referatur, addit: *Manente tamen Metropolitanæ civitati*

propria dignitate, ut explicat eleganter Baron. *dict. pag. 310. cum seq.*

Quare his ita præhabitis, jam colliges rationem concedendi dignitatem ipsam Patriarchatus, vel prærogativas, & præcedentias inter easdem Ecclesias, non necessariò ex antiquitate singularum deducendam esse, sed ex pluribus aliis rationibus, ex quibus Pontifices moveri potuerunt, ut antiquiorem præferant noviori, vel è converso: privilegium enim, & prærogativa hæc Patriarchalis dignitatis primò, & immediatè pendet ex Summorum Pontificum, & Conciliorum autoritate, ut probat Leo Pontifex *dict. epist. 52.* in eisdem terminis, & in nostro proposito, & Anacletus, quos refert Gratian. *in cap. privilegia, p. 1. & 2. 25. quest. 2.* in ipso enim Romano Pontif. omnes thesauri dignitatum, potissimè Ecclesiasticarum reconditi sunt, ut ex Baldo, & Barbat. observat. Mandos. *in reg. 6. Cancel. de resignat. quest. 3. num. 2.* solus namque potest Prælatos mutare, & iæthronizare, ut verbis utar Antheri Papæ *in epistol. ad Episcopos Bætica*, de qua *in cap. mutationes, 7. quest. 2.* refert Dionys. Paul. *cap. 10. num. 80.* Neque enim semper, & indistinctè vera est regula de prioritare temporis, ut antiquior præferatur, sed ex aliis qualitatibus contrarium sæpè observatur, ut notant omnes *in regul. qui prior, lib. 6. & in cap. 1. de majorit. & obedient. text. optimus in l. 2. C. ut dignitatum ordo servetur, lib. 12.*

Omissa etymologia, quod Patriarcha Græca lingua *πατριάρχης*, id est, Summus, seu Princeps Patrum interpretatur, ut cum Isidoro loquar *lib. 7. etymolog. cap. 12.* transcriptus *in cap. clericos, 25. distinct.* ubi observant communiter Doctores Summistæ omnes *in verb. Patriarcha*, plures quos retuli supra *tit. 1. cap. 6. num. 9.* quibus adde Paul. Gryfald. *in decision. Catholica Fidei, verb. Clericus, num. 2.* Lancelot. *in instit. Canon. lib. 1. tit. de Episcopis, §. appellantur.* Gambar. *de officio, & præst. Legati de latere, lib. 2. tit. de variis Ordinariorum nominib. à num. 11.* Dionys. Paul. *de vera quatuor Patriarchalium Sedium erect. c. 1. à num. 41.* ubi *num. 35.* cum Card. Baron. *tom. 2. annalium Ecclesie, anno Christi 112. vers. 2. incipit, Leguntur,* observat Patriarchale nomen ab ipso ortu Ecclesie receptum, usitatumque fuisse: omissa etiam quæst. illa, an Patriarchæ re, an verò nomine tantum differant à Primatibus, quam tetigimus supra *tit. 1. c. 6. num. 7. & 9.* deveniendum est ad privilegia, innumera quidem & maxima, quæ ipsis Patriarchis ob eximiam, qua fruuntur, dignitatem concessa sunt.

Primum igitur Patriarchalis dignitatis privilegium est, quod à Summo Pont. Patriarchis tribuitur pallium, quod est plenitudinis officii Pontificalis insignie; Archiepiscopi verò ab eisdem Patriarchis accipiunt, *cap. antequam, 23. de privileg. Abb. in rub. de autoritate, & usu pallii, num. 2.* Lancelot. Conrad. *in templo omnium judicium, lib. 2. cap. 3. num. 19. & c. 4. per totum,* Gambar. *de offic. & potest. Legati de latere, lib. 2. tit. de variis Ordinariorum nominat. num. 21.* Christoph. Marcel. *in cerem. Romano, lib. 1. cap. 8. per tot. Azor. instit. moral. part. 2. lib. 3. cap. 34. quest. 4.* Sebast. Cæf. *in relect. de Eccles. hierarch. p. 1. disp. 4. §. 4. num. 2. D. Acuña ad cap. 2. num. 4. dist. 100.* Petr. Gregor. *syntagm. juris part. 2. lib. 15. cap. 9. num. 6.* Non obstat quod † pallium à solo Romano Pont. universaliter dari potest, juxta text. *in c. nisi, de autorit. & usu pallii,* cum detur in signum plenitudinis potestatis, juxta text. *in cap. ad honorem, illo tit. & in d. c. antequam,* quæ potestatis plenitudo ab alio dari non potest, nisi ab Apostolica Sede, ejusque Præsidi Romano Petri successore, à quo, tanquam à capite in alios Prælatos tanquam membra, omnis profluit Ecclesiastica jurisdictionis, *cap. in nova, 21. dist.* Quare respondetur, † Patriarchas ex autoritate ab ipso Romano Pont. concessa pallia

22 pallia Archiepiscopis concedere, ac subinde dici non posse quod ab alio accipiunt, quam à Romano Pont. & in ipsius B. Petri corpore, juxta prædictum sensum, juncta reg. *Qui per alium facit*, lib. 7. Cætera ꝑ de pallii etymologia, & usum vide apud Durand. in *rationali divinorum*, lib. 3. cap. 17. Conrad. Brun. de *caremon.* lib. 3. cap. 4. ad finem, Polydor. Virgil. de *inventoribus rerum*, lib. 12. cap. 12. Petr. Gregor. *syntagm. juris* lib. 15. cap. 9. à n. 6. Læl. Zecch. de *Republ. Ecclesiast. tit. de statu Illustriss. Patriarcharum*, à n. 5. Stephan. Durant. de *ritibus Ecclesie*, lib. 2. cap. 9. à num. 41. Henriq. in *sum. lib. 10. cap. 31. in princ.* optimè Guido Pancirola in *thesauro variarum lectionum*, lib. 1. c. 20. per tot. & infra tit. 3. præf. 22.

23 Secundum privilegium est, ut ubique Crucem elatam præ se ferre liberè possint, præterquam in Urbe Romana, aut ubicumque Summus Pontifex, vel ejus Legatus utens insigniis Apostolicæ dignitatis præfens fuerit, & habetur in d. cap. *antequam*, notant ibi Anton. & Abb. in *princip. Chassan. in catalogo gloria mundi*, part. 1. *considerat.* 38. *conclus.* 4. Petr. Gregor. *syntagm. juris* lib. 15. cap. 9. num. 6. Læl. Zech. *ubi proximè*, num. 2. ad finem, Henriq. d. lib. 10. cap. 26. §. 3. Gonzal. ad reg. 8. *Cancel. gloss.* 41. num. 25. Sebast. Cæsar in *relect. de Eccles. hierarchia*, part. 1. *disp.* 4. §. 4. ex num. 18. D. Acunha de *Primatu Eccles. Bracharenf.* cap. 6. Pacian. de *probat. lib. 2. cap. 33. num. 20.* Stephan. Gratian. *Marchia decis.* 29. num. 3. Alzed. d. *præcell. Episcop. dign. part. 2. cap. 1. num. 35.* Pancirola d. lib. 1. cap. 20. §. *habent & aliud*, malè notans Abb. in cap. 1. *ut lit. non contest.* num. 7. contrarium voluisse, quod scilicet Patriarchæ solum intra Provincias sui Patriarchatus possunt deferre Crucem; nam Abb. *ibi* apertè loquitur de Archiepiscopis, in quibus verissimam tradit & utilem, atque receptam distinctionem, quam etiam recepit in d. cap. *antequam*, num. 10. quod sunt quædam insignia denotantia superioritatem, seu potestatem in loco, & istis uti potest extra suam provinciam, absque speciali privilegio. Idem erat dicendum in Patriarchis, nisi communi jure eis concessum reperiretur: quod autem hic sit sensus d. cap. *antequam*, & particulæ illius, *ubique*, patet non solum ex ipsius proprietate, quæ accipitur pro quocumque loco: ego ipse in *meis Remissionib. de clausulis & dictionibus*, dict. 358. num. 2. sed magis ex limitatione, quam inferiùs facit text. ille *ibi*, nisi in Urbe Romana, &c. advertit bene Anton. Augustin. in *notis ad illum post collectiones adjectis*, quæ exceptio regulam firmat in contrarium quoad omnia alia loca, in quibus Romanus Pontifex præfens non reperitur, juxta reg. text. in l. *nam quod liquidè*, §. *ult. ff. de penu legata*, cum citatis in *libello de principiis utriusque juris*, litt. C, num. 5. Quædam autem sunt insignia denotantia dignitatem personæ, & his uti potest Archiepiscopus, vel similis Prælati extra loca sui territorii, veluti portare anulum, vel celebrare cum Mitra, & Baculo, ut notat gloss. quam sequuntur omnes *ibi*, in *Clem. Archiepiscopo, de privileg.* plures me citato in hoc loco, refert Alzed. d. *part. 1. cap. 13. num. 88.* vide infra *alleg.* 30. num. 16. vel etiam quod post se caudam portari faciat; pertinet enim hoc ad personæ dignitatem, & incessus decentiam: notant idem Abb. & ex eo Pancirola loco proximè citato, advertens habitum hunc fuisse quorundam Palatinorum Principis Constantinopolitani; sed ad Græcos recurrere non oportet, & fatius est dicere illos ex nostris sumpsisse. Ex quibus circa hoc privilegium ferendi crucem inter Archiepiscopos, & Patriarchas illa apparet differentia, quod ꝑ Patriarchis Jure communi datum est ubique, Archiepiscopis verò intra Provinciam, juxta text. in dict. *Clem. Archiepiscopo*, Zech. d. *tit. de statu Illustriss. Patriarch.* num. 6. me citato in hoc loco, Illustriss. D. Acunha de *primatu Eccles.*

*Bracharen. cap. 6. num. 5.* nam extra Provinciam Archiepiscopi Crucem deferre non possunt, nisi illi, quibus speciali Sedis Apost. privilegio fuerit concessum, ut probat text. in dict. cap. 1. *ut lito pendente.* Alia quoad hoc inter eos est differentia, quia ꝑ Patriarchæ Crucem ligno transverso gemino constantem præ se ferunt, cujus lignum superiùs transversum brevius est, inferiùs longius; Archiepiscopis verò intra suam Provinciam unius duntaxat transversum ligni Crucem præ se ferre permittitur, ut optimè observant Cujac. in *paratit. ad titulum de foro compet. in cap. sanè 2. in fine*, Just. Lips. in *notis ad suos de Cruce libros*, Jacob. Gretser. de *ortu S. Crucis*, part. 3. in *descriptione Crucis Vverdeana*, vers. *verum cum circa*, Jaym. Bleda in *tract. Sancta Crucis*, cap. 7. Hieron. Roman. *part. 2. de Republ. ad finem*, me citato in hoc loco, Alzed. de *præcell. Episcop. dign. part. 1. cap. 10. n. 43.*

Tertium privilegium est, quod ad eos in omnibus causis suarum provinciarum possit provocari, ut refert text. in dict. cap. *antiqua*, vers. *in omnibus.* Sebast. Cæsar dict. §. 4. n. 8. Petr. Gregor. dict. *part. 2. lib. 15. cap. 9. num. 6. vers. ad hos quoque.* Ratio autem formalis hujus privilegii in eo consistit, quia ꝑ secundum ordinarias regulas appellatio gradatim, non verò omisso medio est interponenda, l. *Imperatores 21. in princip. ff. de appellat.* ubi omnes, & ultra ordinarios Socin. *reg. 39. Maranta de ordine judicior. part. 6. cap. de appellat. à num. 368.* & alii, de quibus Alphan. *collect.* 892. quibus adde Garciam Falconium *reg. 32.* & plenissimè post multos, quos refert, Sigismundus Scaccia de *appellat. quest. 7. à princip.* ita scilicet, ut inter Ecclesiasticos judices ab Archidiaconis, & aliis inferioribus Prælati ad Episcopum, & ab Episcopo ad Archiepiscopum, & sic ab inferiori ad Superiorem immediatum judicem interponatur appellatio, cap. *dilecti 66. de appellat. cap. Romana, in princip. & §. ab Archidiaconis, & §. debet, & §. ult. eod. tit. lib. 6.* prosequuntur Petr. Gregor. de *appellat. lib. 4. cap. 2.* Scaccia dict. *quest. 7. à num. 32. & 86.* ꝑ Patriarchis tamen ipso jure singularis hæc prærogativa indulgetur, ut ad eos omisso medio in omnibus suarum Provinciarum locis licita sit appellatio, atque ita text. in dict. cap. *antiqua*, esse intelligendum; quia aliàs nullum concederet privilegium Patriarchis, contra principium illius text. *ibi*, Renovantes privilegia; & hanc esse communem sententiam computatis Auctoribus, post Innoc. & Host. concludit *ibi* Abb. num. 7. & 8. sequitur Petr. Greg. *syntagm. lib. 15. cap. 9. num. 6.* Læl. Zecch. dict. *tit. de statu Illustriss. Patriarch.* num. 4. ad finem, Maranta d. loco, num. 271. & post Gambar. de *offic. Legat. lib. 8. quest. 22. num. 106.* de communi testatur Scaccia d. *quest. 7. num. 104.* Lancel. Conrad. in *templo omnium judicium*, lib. 2. cap. 3. num. 9. Matth. Ugon. in *tract. de præstantia Patriarchali*, col. 29. vers. *ubi jam quedam.*

Non obstat text. in d. cap. *antiqua*, *ibi*, *salvis appellationibus ad Sedem Apostol. interpositis*, quatenus hoc, ut appelletur omisso medio, soli Romano Pont. concedere videtur, quod omisso medio ad Rom. Pont. appellari possit, probant text. in cap. *omnis*, 2. *quest. 6. cap. si duobus, de appellat. lib. 6. gloss. verb. reservata, in cap. quod translatione 4. de officio Legati*, Anton. Scapp. in *tract. juris non scripti, cap. 41. num. 7.* Sigism. Scacc. de *appellat. quest. 7. à num. 46.* Cardin. Tusch. tom. 1. *lit. A, concl. 452. num. 51.* Respondetur enim text. in citatis verbis non loqui taxativè, neque impedire quod etiam quatuor Patriarchis specialiter concedatur; quia si gradatim ad Patriarchas esset appellandum in provinciis sibi subjectis, nihil eis specialiter concederet text. contra mentem Pontificis in proemialibus verbis, *ibi*, *Patriarchalium sedium privilegia renovantes*: quare audiendi non sunt contra-

- rium resolventes, Anton. *in d. cap. antiqua*, num. 11. refert, & sequitur Henr. *d. lib. 10. cap. 29. §. 3.* id colligentes ex *glos. ult. in d. cap. antiqua*.
- 30 Quartum privilegium est, ut Patriarchæ Regibus, aliisque Principibus superiorem non habentibus æquiparentur, cum eorum instar redacti sint, quod multarum provinciarum regimina subeant. Bald. *in l. 1. §. iis cunabulis*, num. 3. ff. *de offic. Pref. Prætorio*, Andr. Barbat. *de præstantia Cardin. quest. 1. Basilica 1. n. 43.* Lancel. Conrad. *in templo omnium judicium*, lib. 2. cap. 3. num. 21. Jacob. de Nigris *in repet. l. 1. ff. de officio ejus, cui mandata est jurisdictio*, num. 16. Chassan. *in catalogo gloria mundi, part. 4. consid. 9. vers. & isti*, Læl. Zech. *d. loco, num. 2. circa finem*, Jacobat. *de Concil. lib. 2. art. 1. num. 137.* Sebast. Medices *in tract. de legibus & statutis, part. 1. quest. 12. num. 9.* Gaspar Valalc. *in repet. legis imperium*, num. 21. ff. *de jurisd. omnium judic.* Andr. Gambar. *lib. 2. de officio & potest. Legati, in princ. num. 15.*
- 31 Imò & Summorum Pontificum privilegiis, ac prærogativis utuntur, juxta text. *in cap. renovantes*, 22. dist. sub illis verbis: *Similia privilegia, quæ superior Roma habet, accipiat.* Et Justinian. *in auth. de Ecclesiast. titulis, §. 1. collat. 9. Honor. & Theodof. in l. omni innovatione 6. C. de sacros. Eccles. ibi, non absque scientia viri Reverendissimi sacrosanctæ legis Antistitis Ecclesiæ Urbis Constantinopolitana, quæ Romæ veteris prærogativa latatur, l. 1. & ibi glos. verb. latetur, C. de privileg. Urbis Constantinopolit. lib. 11.*
- 32 Unde ratione hujus Papalis similitudinis Patriarchis Romani Pontificis insigniis & ornamentis uti fas est, siquidem veste ruffa indutis incedere, & equo albo phalerato, simul atque freno, & calcaribus deauratis uti eis liberè licet, Abb. Panorm. Host. & alii scribentes communiter *in d. cap. antiqua*, observant Cardin. Jacobat. *in tract. de Concil. lib. 1. num. 184.* Petr. Gambar. *lib. 2. de potestate Legati, tit. 1. de variis Ordin. nomin. 21. me citato in hoc loco, Alzed. d. part. 1. cap. 5. num. 61.* quibus insigniis † Legatus de latere uti potest, ut notant Anton. num. 10. Cardin. 6. Abb. 4. & alii *in d. cap. antiqua*, Læl. Zech. *de Repub. Ecclesiast. tit. de statu Illustrist. Legati, num. 4. vers. ulterius*, & post Martin. Laudensem resolvit Pancirola *lib. 1. cap. 19.* Quid amplius? addo communem, ac receptam fuisse olim Doctorum sententiam, quæ prædictos quatuor Patriarchas Illustrissimis S. R. E. Cardinalibus præferbat, ut Henric. Card. Host. scripsit *in d. cap. antiqua*, quem *ibid.* Abb. num. 6. & alii sequuntur, Paul. Orian. *in repet. l. 1. num. 23. ff. de officio ejus, cui mandata est jurisdictio*, Philip. Prob. *ad Joan. Monach. in cap. statutum, num. 21. vers. item in sedendo, de rescript. lib. 6.* Lancelot. *in Inst. Canon. lib. 1. tit. de Episcopis, §. Patriarchæ sunt*, ubi glos. *in verb. locum*, Gig. *de resident. Episcoporum cap. fin. num. 7. & 8.* Chassan. *in d. catalog. part. 4. consid. 9. vers. alia de iis*, Matth. Ugo *de præstantia Patriarch. col. 2. vers. est igitur*, Sebast. Medices *dict. quest. 12. num. 4.* Decian. *resp. 8. n. 184. vol. 1.* Jacobat. *de Concil. lib. 1. art. 1. n. 95. & seq.* ubi tamen num. 252. quem refert, & sequitur Paleot. *de sacri Consistorii consultationibus, in concl. operis, memb. 5. in princ. vers. ad cuius similitudinem, & in §. 1. incip. Consistorium, in fine*, notat Eugenium IV. prætulisse illustrissimos Cardinales iis etiam quatuor maximis Patriarchis.
- 34 Patriarcharum jurisdictio in omnes Archiepiscopos, & Episcopos suos ordinaria est, & suprema, ut satis colligitur ex *cap. 9. Concilii Nicæni*, de octoginta ex Arabico habitis (quos quidem octoginta cautè legendos esse moneo: verè enim non sunt Nicæni, qui viginti tantummodo fuere, sed ex Nicænis, aliisque longè posterioribus conflati, ut apparet ex Conciliis etiam Græcorum, quæ aut generalia non sunt, aut ab Apost. Sede approbata non fuerunt: quædam etiam

sunt interpretationes Nicænorum Canonum, eademque parum veræ) in hæc verba: *Consideret Patriarcha, quæ Archiepiscopi, & Episcopi ejus in provinciis suis faciunt, & si quid reperiat secus, quam oporteat factum, mutet, & disponat ut sibi videbitur, siquidem ipse est pater omnium, & illi filii ejus, sicque præest Patriarcha his omnibus, qui sub potestate ejus sunt, sicut ille, qui tenet Sedem Romæ, caput est, & princeps omnium Patriarcharum.* Unde † Patriarchæ prætextu hujus ordinariæ jurisdictionis dispensare possunt cum Episcopo, vel alio beneficiorum collatore sibi subjecto, qui ob malam beneficiorum collationem fuerat à Concilio suspensus, *cap. grave, ad fin. de præbend. ibi: Hujusmodi suspensionis sententia præter Romani Pontificis auctoritatem, aut proprii Patriarchæ minimè relaxetur.*

Item etiam excommunicatos à suffraganeis suis absolvent, licèt eis Suffraganei absolutionem concedere reculent, ut docent communiter Doctores per text. *in cap. ad reprimendam 8. de officio Ordinar.* tradit Matth. Ugon. *d. tract. de præstantia Patriarchar. vers. ita quandoque.*

Privilegia supra relata quatuor tantum veris Patriarchis, Constantinopolitano scilicet, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, non verò aliis minùs propriè ita appellatis, utpote Aquileiensi, Gradenfi, Toletano & similibus, competere videtur deduci ex textu *in dict. cap. grave 29. in fine de præbendis*, ibi: *Aut proprii Patriarchæ minimè relaxetur, ut in hoc quoque quatuor Patriarchales sedes specialiter honorentur: & ex Extravag. Sancta Romana, de elect. inter communes*, ubi Benedictus IX. postquam dictas quatuor Patriarchales Sedes sanctam Romanam Ecclesiam instituisse refert, ipsasque, inquit, multis prærogativis & honoribus, ac privilegiis decoravit; quasi diceret, prædicta privilegia, quibus Patriarchæ fruuntur, propriis Patriarchis, non verò impropriis fuisse concessa: ita Chassan. *d. consider. 9. vers. alii autem.* Redoan. *d. cap. 16. num. 1.* Nam omnes præter illos quatuor, impropriè potius, & perperam usitata voce Patriarchæ ab omnibus solent appellari. Alber. *in dict. verb. Patriarchæ, vers. Patriarcha & Primas*, Jacobat. *lib. 1. de Conciliis, à num. 256.* Anastaf. Germon. *lib. 2. cap. 5. n. 17. & lib. 3. de sacrorum immunit. c. 7. n. 11.* Læl. Zech. *d. num. 2.* Pavin. *de officio & potest. Capituli Sede vacante, prælud. 6. n. 12.* Redoan. *de simonia mentali, p. 1. c. 16. n. 5.* excepto Toletano, qui ex privilegio Pontificio omnibus, & singulis prærogativis, privilegiis, ac insigniis, quæ dictis Patriarchis competunt, uti & gaudere liberè, liciteque potest, un infra dicam *hoc tit. cap. 8. n. 11.*

Observandum maximè est, veram causam constituendi Romæ quinque Patriarchales Ecclesias in prædictis quinque Patriarchis (computando Romanum) verificari, ut ex epistolis Innocentii III. accepit Marcus Attilius Serranus *in libello de septem Urbis Ecclesiis, statim in princip.* cujus verba in hunc modum habent: *Quinque sunt in Urbe Ecclesia, quæ ob insignem adificiorum magnitudinem ex omni antiquitate Basilica vocantur, Lateranensis, Vaticana, S. Pauli in via Ostiensi, S. Maria Majoris, S. Laurentii extra Urbis mœnia, ut & aliunde constat, & ex epistolis Innoc. III. quæ in Vaticana Bibliotheca asservantur. Eadem Patriarchales dicebantur, quòd ex eis Lateranensis quidem Romano Pontifici (qui & Patriarcha aliquando vocatus est) ad habitationem attributa erat, cætera ad hospitium, ac diversorium illis quatuor Reipub. Christiana Patriarchis, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, qui post Romanum ex sacrorum Conciliorum decretis principem in Ecclesia locum obtinebant. Quòd ideo factum est, ut si quando contigisset generalia Concilia Romæ celebrari, quibus interesse ii quatuor tenebantur, aut alia quavis de causa*

ad Urbem accederent, suas quisque ibi sedes haberet. Est enim Roma communis omnium patria, quò cum ex toto terrarum Orbe (antequam adeo miserabiliter Christiana Respubl. afflicta esset) innumera gentes confluerent, conveniens fuit, ut omnes quò confugerent, haberent ubi suum agnoscerent ducem, & Pastorem. Hæc Attilius Serranus ubi supra, cui consonat Rodolph. Cuperus in tract. de sacrosancta universali Ecclesia, in §. quæ sint Cardinalium partes, n. 29. pag. 221. Matth. Ugon. in præstantia Patriarch. 13. vers. in nomine Domini. Verum cum supra Attilius Serranus asserat hujusmodi quatuor Patriarchas Concilio Generali interesse teneri, advertendum duxi † etiam hodie de necessitate vocandos esse ad generale Ecclesiæ Concilium celebrandum: licet enim actu jurisdictionem, ac subditos non habeant, ad bonum tamen universalis Ecclesiæ, cujus causa agitur, cujusque verè sunt Patriarchæ, vocem in illo deliberativam, ac decisivam habent, ut observavit Jacobat. in tr. de Conciliis, lib. 4. art. 2. num. 58. & seq. & num. 72. & seq. sequuntur alii, quos pro hac parte allegat Cened. ad Decret. collect. 108. n. 3. & ex Cæremoniali Romano desumpsit Francisc. de Padilla in chronographia Conciliorum, in princip. sub tit. Concilii qui interesse debeant.

39 Plura alia in hoc proposito de præcedentia Patriarcharum, eorumque privilegii adducere possemus; sed tam in hoc, quàm infra in uniuscujusque Patriarchæ erectione demonstranda parum immorari oportet, quia occupatis provinciis illis Imperii Orientalis Turcarum tyrannide, non multum utilitatis afferre videtur hac de re prolixior disputatio, ut advertit Andr. Gamb. in tr. de auctoritate Legati de latere, lib. 2. tit. de variis Ordinariorum nominibus, num. 19. Verum licet quatuor insignium Patriarchalium sedium causa, attentò præsentis status, quo est Patriarchalibus provinciis destituta, tanquam pars minima terræ aliquibus videatur, sicque disputatione indigna; tamen iis, qui in ea quæ intrinsecus latent, considerant, non dubium, quod non ut minimis quatuor, sed ut melioribus, ac sapientioribus adæquanda, ac comparanda videtur, arg. cap. 30. Proverbiorum; ut sic etiam apertissimè contra Andr. Gamb. constet fructuosam esse de hac materia susceptam disputationem, ac Catholico viro dignam.

40 Illud autem omittendum non est, quod licet in dictis Patriarchalibus provinciis degentes schismatici audeant quendam Pseudopatriarcham de facto eligere contra dispositionem Clement. in plerisque, de elect. offerendo Turcarum Principi magnam pecuniæ quantitatem, ut refert Matth. Ugon. de præstantia Patriarch. dignitatis, vers. nec ab alio; & tetigit Paul. Burgensis Episcopus in addit. ad cap. 13. Apocalypsis, posita post gloss. ordinariam, & apostillam Nicolai de Lyra in vers. secundo verò: † tamen sæpius prævaricatores prædicti redeuntes ad cor, respicientesque petram, ex qua excussi fuerant, ut habetur Isaia cap. 51. diversis legationibus, ac procuratoriis mandatis ad Apostolicam Romanam Sedem redeundo obedientiam Christi Vicario Romano Pont. dederunt, ut de Antiocheno illo montis Libani patet in Lateranensi Concil. sub Leone X. sess. 11. tom. 5. Concil. pag. 162. † Moyses etiam Mardenus Antiochenus Patriarcha anno 1552. fidei Catholicæ professionem fecit, ut habetur in Bibliotheca SS. Patrum nova edit. tom. 7. pag. 1177. ubi paulò post alia legitur similis alterius Patriarchæ professio, & de aliis constat etiam in Florentino Concilio. Novè verò † Gabriel Alexandrinus Patriarcha (secundum suam computationem à S. Marco nonagesimus septimus) fidei professionem fecit, obedientiamque Romanæ Sedi, & S. D. Papæ Clem. VIII. promisit Romæ 15. Januar. 1595. in Consistorio per Legatos suos Josephum, & Abdelmasium missos ex Ægypto, quod memorabile factum merito litteris commen-

davit Card. Baron. tom. 6. annalium Ecclesiæ, pag. 691. & seq. fuitque per dictum Patriarcham ratificatum, missis ad hoc authenticis instrumentis in Ægypto receptis die 14. Januarii 1597. & in sacro Consistorio Sanctissimo exhibitis die 15. Junii ejusdem anni.

Sed & venturum esse desideratum illud tempus quo Patriarchales provinciæ redibunt ad Catholicos Patriarchas, prædixit B. Brigitta lib. 7. suarum revelationum, cap. 19. dicens, promississe Dominum nostrum, quod quando Græci verè redierint ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ, & summi Pontificis, quem in Ecclesia Vicarium suum reliquit, quod tunc ab iniqua & tyrannica Turcarum oppressione liberabuntur, & ex ea refert insignis ille Roffensis Episcopus Joannes Fischerus in consutatione assertionis Lutherana, art. 25. vers. miror impudentiam tuam, circa fin. Prædictam Patriarchalium provinciarum futuram recuperationem sentit etiam Benedictus XI. in extravag. sancta Romana, de electione, in illis verbis: Ut quandiu civitates ipsæ schismaticorum, aut infidelium subsunt, aut suberunt ditioni, aut detinebuntur per vos. Hæc Pontifex. Ut hæc verba in casu justæ expectatæ recuperationis aliquid operentur, juxta notatâ in l. si quando, ff. de legatis 1. junctâ etiam vulgata doctrina sumpta ex cap. ab exordio, 35. dist. qua dicitur quod res de facili revertitur ad pristinam naturam, infertur apertissimè, quod dicta & dicenda super hac materia ab omnibus eruditis ac Catholicis viris, in maximo pretio sunt habenda, & non otiosa judicanda.

## CAPUT II.

De primatu Ecclesiæ Romanæ super omnes, & de suprema Summi Pontif. potestate in universum orbem.

### SUMMARIUM.

- 1 Petrus inter Apostolos primus ab Evangelistis recensetur, & à Christo Domino inter eos singulariter ut caput designatur.
- 2 Ecclesiæ Claves Petro præcipuè, & per eum Ecclesiæ data fuerunt.
- 3 Petrus mittens se in mare ad Dominum, quid designavit? ostenditur.
- 4 Petrus ad Apostolatam ante Andream fratrem, Joannem, & Jacobum vocatus fuit.
- 5 Petrus post Ascensionem Domini, velut successor ipsius cepit regere Ecclesiam.
- 6 Ecclesiæ unitas sub uno summo Pastore ostenditur.
- 7 Petrus 15. Kalend. Februar. anno Christi 44. Romanam venit.
- 8 Petrus Cathedram Sacerdotalem Romæ tenuit annis 25. & an toto hoc temporis spatio in Urbe permanserit, ostenditur.
- 9 Roma laudatur.
- 10 Petrus jussu Domini Romæ Sedem Pontificiam fixit.
- 11 Vado Romam iterum crucifigi, respondisse Dominum Petro Urbem fugienti, qui affirmavit, ostenditur.
- 12 Romæ prima Sedes, & universalis Ecclesiæ Primatus jure divino est collocatus.
- 13 Apostolicam Sedem an licitum sit è Roma aliò transferre? ostenditur.
- 14 Romana Ecclesiæ omnium aliarum, omniumque fidelium mater.
- 15 Romana, & universalis Ecclesiæ Pontifex succedit Petro in Ecclesiastica monarchia.
- 16 Summus Pont. nullum in terris superiorem habet.
- 17 Ordinarius Ordinariorum, & totius Orbis est Summus Pont.

- 18 *Servus servorum Dei nominatur Summus Pont. quantum ad humilitatem; nam quantum ad potestatem est Dominus Dominorum.*
- 19 *Summum Pontificem saltem in habitu habere potestatem facularem immediatè à Christo Domino, qui defendant? ostenditur.*
- 20 *Summus Pont. Petri successor, & Christi Vicarius nobis Christum representat.*
- 21 *Christus Dominus dum in terris ut homo vixit, universalis fuit mundi Dominus, & Rex universorum.*
- 22 *Christus Rex sine propugnatoribus, sine magistratu, & quomodo dictus? ostenditur.*
- 23 *Petrus Pontificatum, & regimen totius populi Christiani à Christo accepit.*
- 24 *Summus Pont. (ut verior tenet sententia) super universum Orbem ex summo Pontificatus officio directè non habet, etiam in habitu, potestatem facularem ab spirituali distinctam.*
- 25 *Summus Pont. ut Christi vicarius ex officio Summi Pontificatus nullam aliam potestatem habet, nisi eam solum, quam in lege gratia Christus Dominus, quatenus homo, dum in terris vixit, eidem communicavit.*
- 26 *Christus Dominus temporalem monarchiam, & potestatem de facto non exercuit, nec exercere voluit.*
- 27 *Christus Dominus per se & directè habuit ex dono Patris excellens quoddam dominium, & potestatem super res omnes creatas, quod non communicavit Vicario.*
- 28 *Auctoritas Christi Domini Matth. 16. Tibi dabo claves regni Cælorum, intelligitur de potestate spirituali suprema, non verò temporali directè.*
- 29 *Cap. 1.22. dist. Extravag. unam sanctam, de majoritate, inter commun. & extravag. unic. vers. Sanè, ne Sede vacante, Joan. XXII. non agunt de potestate aliqua seculari Summi Pontificis, sed solum de Ecclesiastica.*
- 30 *Cap. cum ad verum, 69. dist. intelligitur de potestate seculari formaliter sumpta in suum finem naturalem, quam negat in Summo Pontifice.*
- 31 *Summus Pontifex super omnia negotia facularia habet sufficientem potestatem, quando id expedierit ad finem supernaturalem assequendum.*
- 32 *Summus Pont. super infideles habet potestatem temporalem gubernativam, quatenus opus fuerit ad defensionem Ecclesie, & expediendam predicationem Evangelicam.*
- 33 *Summus Pont. directè super infideles potestatem temporalem gubernativam non habet.*
- 34 *Summo Pontifici potestas competens quæ tali, non competit ei, nisi quæ est caput ipsius Ecclesie, gerens ipsius Christi capitis vices in corpus mysticum ejusdem.*
- 35 *Summus Pontifex non habet potestatem in homines, nisi qui sunt membra Ecclesie, mediante scilicet Baptismo fideles facti, & incorporati cum Christo ejus capite.*
- 36 *Infideles immediatè ab ipsa natura potestatem supremam civilem habent, ita ut per eam gubernari possint suo modo in ordine ad propriam conservationem.*
- 37 *Lusitanos arguit Auctor, qui in Guinea Ethiopes in servitutem injustam redigunt.*
- 38 *Infideles non potest Summus Pontifex debellare pro eo quod eum recognoscere nolint in dominum suum, & totius Orbis temporalem.*
- 39 *Auctoritas Ecclesiastici 10. Regnum à gente in gentem, &c. intelligitur de sola potestate, & punitione divine Majestatis.*
- 40 *Summus Pontifex, aut quilibet alius Princeps fidelis non poterit infideles, quantumvis sceleratos, utpote ipsius imperio non subjectos, privare sua ipsorum potestate civili publica, & dominio rerum suarum.*
- 41 *Infidelium terras inter reges Portugalia & Castelle optimo jure potuit dividere Summus Pontifex Alexander VI. sub ea conditione, ut in conversionem prædictorum infidelium tenerentur mittere prædicatores Fidei.*
- 42 *Hispania, & Lusitania Reges quando, & à quibus per ignotas terras, & ignotiora maria Indias scrutari miserunt.*
- 43 *Commercium omnibus fecit commune jus gentium.*
- 44 *Rationes expenduntur, quibus motus Alexander VI, commisit Portugalia, & Castella Regibus predicationis Evangelicæ, & conversionis infidelium curam, negotium, & commercium.*
- 45 *Summus Pontifex ex gravissima causa potest declarare jus naturale, gentium, aut Divinum positivum.*
- 46 *Benedictus Egidius Lusitanus laudatur.*
- 47 *Titulares Episcopos infidelibus idololatriis, vel hæreticis quomodo Summus Pont. constitutere possit, ostenditur.*
- 48 *Summus Pontifex in casu ad spirituale bonum necessario potest iniquam sententiam à judice seculari latam revocare.*
- 49 *Lis mota super jure alicujus principatus, vel alterius rei temporalis, deferitur ad Summum Pont. si ex contentione, & discordia probabiliter in spiritualibus timerentur damna gravissima.*
- 50 *Cap. novit, vers. Non enim, de judiciis, declaratur.*
- 51 *Coadjutorem alicui Regi, vel Principi seculari superiorem non recognoscenti potest summus Pontifex dare, quando id postulat populi scandalum, & ruina spiritualis.*
- 52 *Ideo Summus Pontifex in cap. grandi, de supplenda neglig. Prælat. lib. 6. processit ad illam coadjutoris dationem, quia de facto pro majori justificatione requisitus fuit ad eandem à pluribus Portugalia Prælatis, & nobilibus.*
- 53 *Verius tamen in eo text. poterat summus Pontifex ad eandem Coadjutoris dationem procedere de jure, in vitiis Lusitanis.*
- 54 *Ecclesiasticus judex ex proterva secularis negligentia, & remissione offensarum potest cognoscere.*
- 55 *Petrus Barbosa Regius Consiliarius, ac Regni Portugalia Cancellarius maximus laudatur.*
- 56 *Refutatur intellectus asserentis ideo summum Pontificem processisse ad prædictam coadjutoris dationem in terminis d. cap. grandi, quia regnum Portugalia illud, recognoscebat etiam in temporalibus.*
- 57 *Portugalia regnum Romana Ecclesia censuale an verè fuerit, ostenditur.*
- 58 *Refertur liberatio Nuncii Apostolici de prædicto censu à se recepto.*
- 59 *Portugalia regnum neminem in temporalibus recognoscit.*
- 60 *Electio per Rempub. Lusitanam de Alphoso I. in suum Regem, veluti in publicis comitiis legitime congregatam, potuit fieri absque auctoritate summi Pontificis.*
- 61 *Christi quinque stigmata in cælo ostensa, ab Alphoso Portugalia Rege I. in regia insignia insigni pietate suscepta fuerunt. Francia regnum divinitus fuit approbatum, ex eo quia tria lilia, quæ illi sunt adhuc Regia insignia, de Cælo missa fuerunt Clodovao.*
- 62 *Portugalia Reges regna Imperatorum ignavia à Mauris vindicata, virtute bellica ab ipsorum manibus vendicarunt.*
- 63 *Lusitani pertinacissimè Romanis restiterunt, duce Variato.*

- 64 Alphonfus primus Rex Portugalia pro confirmatione sui Regii tituli recursum habuit ad summum Pontif. non quidem ex eo quod necessarius esset, sed ex eo quia devotione, pietate, & animi gratitudine voluit libens, & absque ulla obligatione civili se eisdem Christi vicario B. Petro, & successoribus suum militem peculiari quadam, sed spiritali solum subjectione submittere
- 65 Hispania Reges subjectionem Sedi Apost. debebant ab antiquissimis etiam Regum Gothorum Catholicorum temporibus.
- 66 Hispania regnum non recognoscit Imperatorem, aliumque superiorem.
- 67 Summus Pontifex potuit transferre in personam Magni Caroli Imperium à Græcis in Germanos, & disponere de Imperatoris electione, coronatione & juramento fidelitatis.
- 68 Constantinus Imperator in pluribus terris, & provinciis omnem temporalem potestatem, dominium, & universa Imperii jura in Ecclesiam Romanam transfudit.
- 69 Donatio de terris, & civitatibus Imperii illicita est, & invalida.
- 70 Princeps res Regia Corona alienare nequit.
- 71 Rex absque populorum consensu regnum privare jure & honore suo non potest, nec illud servituti subijcere, nec illius bona donare cum magna Regia Corona diminutione.
- 72 Rex non potest castra regni, & civitates alienare absque consensu omnium Principum, & populorum ejusdem regni.
- 73 Ecclesia cum læditur, vincit, & magis incipit esse uberrima, cum ad finem sæculi erit perducta.
- 74 Respondetur contrariis fundamentis.
- 75 Fama in factis antiquis, nempe centum annorum, plenam efficit probationem.
- 76 Franciscus de Caldas Pereira laudatur.
- 77 Constantini donatio auctoritate antiquissimorum, gravissimorumque Patrum munita est.
- 78 In Sanctissimis Ecclesiis optima mensura est donatarum rerum immensitas.
- 79 Ecclesiis quod donatur, Deo redditur, à quo omne bonum, & donum optimum provenire Apostolus docet.
- 80 Constantinus ingentibus beneficiis à Deo acceptis, scilicet in curatione lepra, & victoria contra Maxentium, divinitus promotus est ad donationem illam faciendam.
- 81 Principes omnes, qui in Ecclesiis munifici & liberales existerunt, de hostibus suis triumpharunt, & Imperium, seu regna ad longissimam posteritatem traduxerunt.
- 82 Constantinus non solum fecit donationem, sed cum eo sacra, optimates, senatus, ac populus.
- 83 Populus potest Regis electionem facere ex aliquo justo capite.
- 84 Leo III. Summus Pont. ex circumstantiis suo tempore occurrentibus, postulante sine supernaturali, ac Ecclesia defensione, potuit transferre in personam Caroli Magni Imperium à Græcis in Germanos, & disponere de Imperatoris electione, coronatione, & confirmatione.
- 85 Gregorius V. Summus Pont. primus concessit illis septem Germania magnatibus, nempe tribus Ecclesiasticis, & quatuor secularibus, potestatem eligendi Imperatorem.
- 86 Imperator defensor, & advocatus Ecclesie dicitur.
- 87 Imperialis dignitas, auctoris sua natura non fuit à summo Pontifice, sed ab ipso Deo, mediante jure gentium.
- 88 Imperialis dignitas post Imperii translationem à summo Pontifice habetur, & ab eo instituta dicitur.
- 89 Imperium Germanicum post prædictam translatio-

nem magis pendet à summo Pontifice, quam aliud quodlibet regnum.

- 90 Summus Pontifex Imperatorem potest deponere.
- 91 Summus Pont. potest electionem de Imperatore improbare, si ei idoneus non videretur.
- 92 Imperium transferre in aliam gentem potest summus Pont.
- 93 Imperio vacante jurisdictione, regimen, & dispositio ejus devolvitur ad summum Pontificem.
- 94 Summus Pontifex in ordine ad finem supernaturalem potest abrogare leges civiles scriptas, & non scriptas, approbantes peccata subditorum, & pro illis premia concedentes.
- 95 Ampliatur ad leges Civiles peccata venialia solum approbantes.
- 96 Lex Canonica in foro civili servanda est, quando agitur de peccato, etiam attentata Ordin. Regia Lusitanorum, qua de quantumvis veniali etiam est intelligenda.
- 97 Cap. novit, vers. Cum enim, de judic. declaratur.
- 98 Denunciatio Evangelica non obligat nisi pro loco, & tempore, data scilicet commoditate, & opportunitate ex parte denuntiantis, & denunciati.
- 99 Argumentum à contrario sensu non valet, quando ex illo sequeretur absurdum.
- 100 Cap. ult. de præscriptionib. ibi, quæ absque peccato mortali, &c. declaratur.
- 101 Papa potest laicos legitimare ad temporalia.
- 102 Papa potest legitimare Principem supremum.
- 103 Legitimatio à Pontifice præstita, non suadente causa boni spiritualis, &c. non prodest ad successionem hereditariam, & alios seculares effectus.
- 104 Pontifex nequit legitimare laicos in factis Imperii, non solum ad spiritualia, sed etiam ad actus seculares.
- 105 Pontifex potest legitimare laicos ad temporalia, si aliquando dubium fuerit de matrimonii parentum validitate.



**A**D Patrem, & ad cœlestem Ecclesiam Jesu Christo ex terrena reversuto necesse omnino fuit aliquem Ecclesie à se in terris constitutæ Præsulem relinquere, qui ejus Vicariam potestatem retineret, ad quem tanquam Judicem, & Pastorem omnes Christi oviculæ in terrenâ Ecclesia commorantes confluerent. Unum de toto mundo ad hoc Petrum elegit Dominus, & solum sibi substituit & in officio Vicarium, & in Magisterio successorum, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesie Patribus præponatur: ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Christus. Hic igitur primus Apostolorum appellatur ab Evangelistis, *Math. 10. Marc. 5. & Luca 6.* qui in capitibus, ubi nomina Apostolorum enumerant, semper primo loco recensent Petrum. Et Dominus noster Jesus Christus, ubi primum B. Petrum, quem à mundi initio Vicarium suum destinaverat, in tertis vidit ad se à fratre Andrea adductum, illico ei uni dixit: *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Sephas, quod interpretatur, Petrus.* Baron. tom. 1. *annal. Eccl. an. Christi 31. c. 20.* Christus enim, ut docet Paulus, *Petra fuit, nomen suum Petro communicavit, ut hac nominis derivatione Christus nobis ostenderet se Petro suas vices, & potestatem aliquando commissurum.* Hic enim cum interroganti Domino, quem homines esse dicerent filium hominis, aliis referentibus opiniones aliorum, ipse velut inter cæteros primus cum eum esse Christum Dei vivi Filium respondisset, audire præmeruit: *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, Matth. 16.* quod D. August. de verbis Domini exponens, ita ait: *Tu es Petrus à petra dictus, quam confessus es, quam cognovisti, dicens:*

Tu es Christus Filius Dei vivi, & super hanc petram, id est, super me ipsum Filium Dei, edificabo Ecclesiam meam. Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos, Luc. 22. Ex quo manifestum est, in Petro omnes contineri; rogans enim pro Petro, pro omnibus rogare dignoscitur. Simon quia diligis me plus his, pasce agnos meos, Joan. 21. Solus ideo Petrus, ut caput, & Princeps reliquorum Apostolorum, pro omnibus sollicitus, ausus est à Christo petere, qua mercede ipsum sequunturi essent, Matth. 9. Ab illo initium tanquam à capite, & majore sumpsit ipse Christus in lotionem discipulorum. Baron. tom. 1. Annal. Ecclesie, an. Christi 3; cap. 38. in fin. verbaque singulariter ei dixit, tanquam uni Pastori, qui ejus exemplo cæteris præfuturus humilitatem ejus imitaretur, Joan. 13. Magnum certè excellentiæ Petri indicium fuit, quod eum unum Angelus speciatim nominavit, dum dicit: Sed ite, dicite Discipulis, & Petro, quia præcedet vos in Galilaam, ibi enim videbitis sicut dixit vobis. Marc. 16. Non exiguum præstantiæ Petri indicium quoque est, quod primus in monumentum Christi intraverit; qui primus Christi vice, id est, auctoritate, & potestate in Ecclesia esset functurus, potuerat enim Joannes prior ingredi, quippe qui cursu prævenerat Petrum, sed id muneris omnium majori Petro permisit, Joan. 20.

Ecclesie claves, id est, Ordinis, & jurisdictionis, sive etiam præminentie, & potestatis, Petro præcipue, & per eum Ecclesie datas fuisse, Sanctorum Patrum testimoniis facile probari potest; nam Beda in homilia de officio Apostolorum, super illud Matth. 16. Quodcumque ligaveris, &c. sic ait: Qui regem colorum majori præ cæteris devotione confessus est, merito præ cæteris ipse collatis clavibus regni cælestis donatus est. Quod si omnibus Apostolis simul dictum esse reperias, non tamen aliis sine ipso, sed ipsi sine aliis attributam esse cognosces ligandi & solvendi à Domino facultatem, ut quod non alii sine ipso, ipse sine aliis posset ex privilegio sibi collato à Domino, & concessa plenitudine potestatis. Huic Dominus oves suas pasceñas vocabulo tertio repetito commisit, ut alienus à grege Dominico censeatur quisquis eum etiam in successoribus suis noluerit habere Pastorem. Sic etiam dum Dominus apparuisset in littore discipulis navigantibus, sciens Petrus quod Dominus esset, se misit in mare, & aliis navigio venientibus ipse sine beneficio navis ad Dominum festinavit, Ioan. 21. Cum enim mare mundum designet, per hoc, quod Petrus se misit in mare, privilegium expressit Pontificii singularis, per quod universum Orbem susceperat gubernandum, cæteris Apostolis in vehiculo navis contentis, cum nulli eorum universus fuerit Orbis commissus, sed singulis singulæ provinciæ, vel Ecclesie potius deputatæ. Iterum etiam ut se unicum Christi Vicarium designaret, ad Dominum super aquas maris mirabiliter ambulans, & ipse super aquas maris mirabiliter ambulavit. Nam cum aquæ multæ sint populi multi, congregationesque aquarum sint maria: per hoc quod Petrus super aquas maris incessit, super universos populos se potestatem accepisse monstravit. Sic etiam Luc. 5. legitur soli Petro Dominum dixisse, Duc in altum; quod cum fecisset, eduxit piscium multitudinem copiosam, qui admirans ipse cum Jacobo, Joanne, & Andrea, qui etiam in navi erant, secundum Matth. & Marci narrationem processit solus ad genua Jesu, dicens: Exi à me, Domine, quia homo peccator sum: cui etiam soli respondit Jesus: Non timere, ex hoc jam homines capiens eris, id est, caput eris. Et hic advertendum duxi Petrum ad Apostolatam ante Andream fratrem, Jacobum, & Joannem, vocatum fuisse, ut patet Matth. 4. nam vocatio, de qua ibi, fuit propriè ad Apostolatam, duæ verò priores, quarum una habetur Ioan. 1. altera in captura piscium, quam describit Lu-

cas cap. 5. non fuerunt propriè ad Apostolatam, sed ad quandam familiaritatem; ita Alphons. Alvarez Guerrero in speculo juris Pontificii, cap. 1. Deinde ipse solus Petrus interrogavit Jesum, Matth. 18. Si peccaverit in me frater meus, dimittam ei usque septies? & ei soli Jesus respondit: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies; cum profecto septenarius universitatis sit numerus, eo quod omnè tempus septenario dierum numero noscitur comprehendi: igitur septenarius numerus in seipsum multiplicatus, in hoc loco significat universorum universa peccata, quia solus Petrus potest non solum omnia, sed omnium crimina relaxare. Denique Apostolis omnibus à Domino mandabatur, ut prædicarent Evangelium omni creaturæ: principaliter tamen Petro incumberebat, qui omnes præstabat prærogativa principatus, & cui soli injunctum fuerat à Domino, ut palceret oves suas. Quare S. Petrum Theodorus Studita epist. ad Leonem, omnium capitum caput vocat. S. Ambros. serm. 66. caput sanctitatis. S. Epiphanius lib. 2. discipulorum Principem, & Apostolici sodalitiæ coryphæum. S. Chrysost. homil. in Petrum Apost. & Eliam, Apostolorum verticem, Ecclesie columnam & propugnaculum, Fidei portum. Clemens epist. 1. ad S. Iacobum, Primitias electionis Apostolorum, æternæ vitæ clavigerum. Nicolaus Papa epist. ad Mediolan. Fidei petram. S. Joannes Damascen. in histor. Barlami, cap. 11: columnam ad sustentaculum, lapidem ad fundamentum, clavem ad Regnum. S. August. serm. 5. in festo SS. Petri & Pauli, confessorem primum Filii Dei, amatorem Domini. S. Isidorus lib. de vita & morte, Sanctæ Ecclesie solem, & luminare majus. S. Ambros. serm. 68. Fidei firmamentum.

Unde post Ascensionem Domini Petrus velut successor ipsius regere cœpit Ecclesiam, ad complendum duodenarium discipulorum numerum loco Judæ prævaricatoris, ex verbis Prophetæ alium instituens, & faciens subrogari, & recepto Paracleto Discipulos Spiritus sancti Gratia illustratos ex verbis Joëlis apertius comprobavit. Hic pœnitentiam agere iussit, & baptizari credentes, Act. 2. Hic inter discipulos curando claudum fuit miraculum operatus, Act. 3. & in Ananiam, & Saphiram uxorem ipsius tanquam primus & præcipuus inter eos, qui mentiti fuerant Spiritui sancto, mortis sententiam promulgavit, Act. 5. Hic simoniacæ pestis radicem contra primitivam Ecclesiam pullulantem Apostolica falce succidit, solus in Simonem Magum sententiam damnationis promulgans, licet non ei soli, sed omnibus communiter pecuniam obtulisset, Act. 8. Huic soli visio cœlitus ostensa fuit, Act. 9. & 10. qua innuitur, quod Petrus Prælatum fuerit cunctis gentibus: ipseque admonebatur omnes gentes suæ fidei commissas Christi Ecclesie unire, & inferere, cum vas illud visionis Orbem terrarum, & universa in eo contenta animalia, universas significaret, tam Judæorum, quàm Gentium nationes: gentium enim immunditiæ per quadrupedia terræ, perque bestias, reptilia, & volatilia Cœli significabantur, & illas jam Deus intra linteum Ecclesie recipiendas decreverat. Propter quod & Petro iustum erat, ut mactaret eas primùm, hoc est, per verbum Dei, quod gladio quovis ancipite penetrabilius est, tetrum peccati sanguinem effunderet, eisque subinde vesceretur, hoc est, more cibi traduceret eas in Ecclesie corpus, & incorporaret eas Christo. Quamobrem ipse, ut primus Judæos, ita quoque & Gentiles converterit ad Fidem, ut supra utrosque fideles se pastorem curam accepisse monstraret.

Constituto sic à Christo Domino tot locis Summo universalis Ecclesie Pastore Beato Petro Apostolo, Unitas, sive Primatus ejus in Ecclesia unica constituitur, à qua tanquam capite reliqua ipsius membra regerentur: Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur: quomodo Solis multi



multi radii sunt, sed lumen unum; & rami arboris multi sunt, sed robur unum tenaci radice fundatum; & quomodo de fonte uno plurimi rivi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine: sic & Ecclesia Domini luce perfusa per Orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur, ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit, unum tamen caput est, & origo una, & una mater fecunditatis successibus copiosa: illius fetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Et quod Ecclesia una sit, veritatis Magister testatur per Spiritum sanctum, dicens: Una est columba mea, una est perfecta mea. Item Ecclesiae unitas dicitur ex unitate Fidei, in qua fundatur, *cap. legimus, 93. dist.* Et ab unitate spei, de qua *Apost. c. 4. Vocati estis in unam spem vocationis vestrae.* Est etiam una unitate charitatis, qua annectitur, & vivificatur, de qua inquit *Apost. ad Philip. 2.* Eandem charitatem habentes unanimes, id ipsum sentientes. Hinc *D. Cyprian. lib. 1. epist. 8. ad plebem. Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una super Petrum Domini voce fundata: sicut etiam in Caelorum universitate à primo mobili dicuntur inferiores. Arist. 2. de Caelo, text. 35. In corporibus mixtis unum semper elementum est, elementarisque qualitas prepollens. In multitudine membrorum unum cor cetera movet. Arist. de partu animalium, lib. 2. c. 2. potentiarum animae una est princeps, nempe ratio. D. August. lib. 2. de liber. arbit. cap. 3. & ut ait *Apost. ad Ephes. 4. Unus est Spiritus, unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus, & pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis; ita quoque unus Praesidens, Pastor, Rector, & gubernator in unica, & universali Ecclesia vicem Christi gerens, Summus Pontifex est, & super unicam & universalem Christus aedificat Ecclesiam, quam nullo Orbis terrarum loco Petrus, & ejus successores melius conferre potuissent, ipso Domino jubente, quantum Roma, quae tunc, & diu post Orbis terrarum imperium obtinuit, à qua facillime Christi pietas & religio in reliquas ei subjectas provincias traduci posset: quod innuere videtur Beatus Leo Papa in serm. 1. de natali Apostolorum Petri & Pauli, dum ait: Beatissimus Petrus Princeps Apostolici Ordinis ad arcem Romani destinatur in operi, ut lux veritatis, quae in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius ab ipso capite per totum mundi corpus effunderetur.**

7 Anno igitur nono à Christi passione exacto, à nativitate ejus 43. postquam Jacobus Joannis frater ab Agrippa Rege occisus fuit, ipse Petrus Azymorum tempore ab eo in carcerem conjicitur, ut festo celebrato illum necaret, qui divino beneficio Angeli opera eductus, exiens ad Romam iter instituit, ut Herodis vim, furoremque declinaret, simul & Simonis Samaritae vestigiis subvertendis insisteret. Annua peregrinatione exacta per eas gentes ad quas priorem epistolam scripsit, Cappadoces scilicet, Galatas, Asianos, Ponticos, & Bithynios Urbem pervenit 15. *Kalend. Febr. sequentis anni*, qui fuit Christi 44. & secundus penè finitus Imperii Claudii; statim Christianae religionis fundamenta jecit, ut postea ad Romanos scribens Paulus gratias agit Deo, quod illorum Fides in universo mundo nunciaretur. Ab hoc tempore usque ad ejus obitum (qui fuit Authoribus penè cunctis consentientibus, 3. *Kalend. Julii*, novissimo Neronis anno, non quidem Juliani, sed imperii, id est tertio-decimo, Christi verò 68.) Cathedram Sacerdotalem Petrus Romae annis 25. tenuit. Non autem hoc toto temporis spatio in Urbe permanit; nam anno Christi 47. sexto imperii Claudii, quo magna Judaeorum seditio fuit, Petrus qui gente Judaeus erat ex Bethsaide vico Galilaeae, simul cum ceteris constituta jam Ecclesia

*Aug. Barbosa de Episcop. Pars I.*

Romana, & Simone Mago extincto, discedere est coactus, & Hierosolymam hac occasione rursus rediit. Et (Agrippa, cujus metu ex Judaea aufugerat, jam vita functo) interfuit transitui Beatissimae Virginis, qui anno sequenti accidit, aetatis ejus 63. prout melius computant citati per me *alleg. 50. n. 112.* Postea ingressus Urbem Romam Nerone Caesare, Linum, & Clementem sibi coadjutores ordinavit, à Marco scriptum Evangelium probavit, priorem Epistolam scripsit, & haec primo Neronis anno, ut ex Damaso intelligitur, transiegit. Inde discedens totum Occidentem, & Africam docendo peragravit. Ad extremum novissimis Neronis annis, eo in Christianos tanquam publici incendii authores deserviente, Romam rediit, ubi de morte ejus, & Pauli ea subsequuta sunt, quae consensu omnium Scriptorum memoriae sunt commendata, quorum mors anno salutis 69. successit, ex *Lotter. de re benef. lib. 1. q. 46. n. 15.* Quicquid haeretici hujus temporis impudenter negent, & Beatum Petrum Romae unquam Cathedram constituisse, & quod magis est, neque Romam unquam venisse: eos tamen ex omnibus antiquis Patribus Graecis, ac Latinis eleganter convincunt Onuphrius Panuinus de Primatu Petri, lib. 3. cap. 1. *Cardin. Caesar Baron. annal. tom. 1. anno Christi 44. cap. 22. cum sequentibus,* & ex professo latissime comprobatur omnibus contrariis satisfaciens *Card. Bellarmin. tom. 1. de Romano Pont. lib. 2. in princip.*

9 *O felix Roma*, inquit *D. Hieron. lib. 2. advers. Jovinianum*, in fine, *Urbs potens, Urbs Orbis Domina, Urbs Apostoli voce laudata*, illa enim caput mundi appellatur, ut patet *cap. fin. de foro comp. & ex l. Roma, ff. ad munic. tradunt Alciat. lib. 2. disjunct. cap. 21. & Mandos. omnino videndus in reg. 20. Cancel. quest. 10. n. 2.* in ea siquidem tanquam in communi omnium patria sunt ferè omnes nationes de Mundo, ut dicit *Burgos de Pace in repet. cap. cognoscentes, n. 210. de constit. & Joan. Quintin. (licet cum aliqua nota Curiae) in repet. cap. de multa, num. 110. de prebend. refert Dionys. Paul. de vera quatuor Patriarchalium Sedium erect. cap. 16. à num. 23. de qua S. Joannes Chrysostr. in comment. epistola ad Romanos, cap. 16. hom. ult. id est 32. ita ait: Ego & Romam propterea diligo, tametsi & aliunde quædam illam laudare, nempe à magnificentia, ab antiquitate, à pulchritudine, & multitudine, à potentatu, & divitiis, & à rebus in bello fortiter gestis: sed relictis istis omnibus, ob id illam beatam depradico, quod erga illos Paulus dum viveret, adeo fuit benevolus, adeo illos amavit, coram differuit, & postremo vitam apud eos finivit: unde & civitas ista hinc facta est insignis, plusquam à reliquis omnibus, & quemadmodum corpus magnum, ac validum duos habet oculos illustres, Sanctorum videlicet illorum corpora: non ita Caelum splendescit, quando radios suos Sol ex sese demittit, quemadmodum Romanorum Urbs duas illas lampades ubique terrarum effundens, &c. de qua in festivitate Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli sic canit Ecclesia.*

*O felix Roma, quae tantorum Principum  
Es purpurata pretioso sanguine!  
Non laude tua, sed ipsorum meritis  
Excellis omnem mundi pulchritudinem.*

Et gloss. verb. *Romana, in Extravag. execrabilis, de prebend.* ita ait: *Ipsam Urbem Apostoli Petrus & Paulus una die pro merito, loco uno pro gloria, sub uno persecutore pro pari virtute compassi glorioso cruore martyrii Christo Domino consecrarunt.* Hinc etenim Roma eo glorioso cruore respersa in hanc gloriam proventa est, ut sit gens sancta, populus electus, civitas Sacerdotalis, & Regia, per sacram B. Petri Sedem in Romano jam proprio solio collocatam, caput totius Orbis effecta, ut dicit *text. in c. fundamenta, in princ. juncto §. 1. de elect. in 6. & refert Lotter. de re benef. lib. 1. quest. 46. num. 16.* Nullam denique decentiorem,

aut Christo ipso magis acceptam Sedem fuisse censemus, quam quæ sanctissimorum Apostolorum Petri & Pauli sanguine consecrata, æternisque trophæis illustrata, quod inde Romam ipsam ad eam gloriam pro-  
 vexit, ut inde esset gens sancta, populus electus, civitas Sacerdotalis, & regia, ut caput Orbis effecta latius præfideret religione divina, quam dominatione terrena, ad quod refert aliqua Læ. Jordan. *de majoribus Episcop. causis ad Papam deferendis, & de Romana Sedis origine, cap. 11. n. 20.*

10 Quamvis ex *Matth. cap. 16. & Joan. 21.* solum constet Christum Petro Summum Pontificatum tribuisse, non autem alicujus certæ Ecclesiæ Episcopatum, ipsa tamen Jura Canonica manifestò nobis tradiderunt jussu Domini Petrum Romæ Sedem Pontificiam fixisse, ut inquit Nicolaus I. I. relatus *in cap. omnes, 22. dist. scribens Mediolanensibus per Petrum Damianum Legatum suum, his verbis: Omnes sive Patriarchæ cujuslibet apices, sive Metropoleon Primatus, aut Episcopatum Cathedras, vel Ecclesiarum cujuslibet Ordinis dignitates instituit Romana Ecclesia: illam verò solus ille fundavit, & super petram Fidei mox nascentis erexit, qui beato aeterna vita clavigero, terreni simul, & cælestis imperii jura commisit.* Id ipsum ostendit Gelasius relatus *in cap. quamvis, 21. dist. omnibus Orthodoxis ita scribens: Quamvis universe per Orbem Catholica Ecclesia unus thalamus Christi sint: sancta tamen Romana, Catholica, & Apostolica Ecclesia nullis synodis constituitis ceteris Ecclesiis prælata est, sed Evangelica voce Domini, & Salvatoris nostri Primatum obtinuit: Tu es Petrus, &c.* Item Anacletus ad omnes Episcopos, *epist. 3. cap. 3. relatus in cap. sacrosancta, 22. dist. ita ait: Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro Primatum obtinuit. Deinde hoc ipsum attestantur Marcell. I. in cap. rogamus, & Leo I. in cap. cum Beatissimus, 24. quest. 1. præterea Alexand. I. Julius I. Pius I. in suis epistolis, & demùm Innoc. III. in cap. per venerabilem, qui fil. sint legit. his verbis: Locus, quem elegit Dominus, Apostolica Sedes esse cognoscitur.* Confirmatur, nam cum Petrus Urbem fugiens exivisset, volens eum Dominus ad locum quem elegerat, revocare, interrogatus ab eo: *Domine quo vadis?* respondit: *† Vado Romam iterum crucifigi;* quod intelligens pro se dictum, ad locum ipsum protinus est reversus, quam historiam referunt Linus Papa *in actis passionis Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Egesip. lib. 3. de excidio Hierosolymitano, D. Ambros. lib. 5. epist. 32. Læ. Jordan. de majoribus Episcoporum causis ad Papam deferendis, cap. 11. num. 24. Guerrero in speculo furis Pontificii, pag. 8. & ex S. Athanasio in apologia pro fuga sua, & S. Greg. in explicatione quarti Psalmi penit. comprobatur Cardinal. Bellarm. lib. 1. de Romano Pont. cap. 23. in fine, Lotter. d.*

11 *lib. 1. quest. 46. num. 9. Quare † primam Sedem, & universalem Ecclesiæ Primatum Romæ Jure divino esse collocatum, tenent Abb. in d. cap. per venerabilem, Joan. Andr. in cap. fundamenta, de elect. in 6. ubi Anchar. num. 12. Albertus Pighius de Ecclesiast. hierarch. lib. 3. cap. 12. & 13. S. Antoninus part. 3. tit. 23. c. 5. §. 7. Turrecrem. de potestate Ecclesiæ lib. 2. cap. 40. cum sequentibus, Can. de locis Theolog. lib. 6. cap. 8. vers. 10. Alvar. Pelag. de planctu Ecclesiæ lib. 1. cap. 32. Cordub. in quest. lib. 4. quest. 2. proposit. 8. Jacob. de Concil. lib. 8. art. 6. & 7. latissime Alphons. Mendoza in quest. quodlib. quest. 4. scholast. Azor. institut. moral. part. 2. lib. 4. cap. 11. quest. 2. Cardin. Cæsar Baron. in addit. ad Martyrologium Romanum, die 18. Januarii, pag. mihi 30. Cardin. Bellarm. tom. 1. de Romano Pontif. lib. 2. à princip. Card. Tusch. præct. conclus. furis tom. 3. conclus. 3. num. 19. & tom. 7. lit. R, concl. 362.*

13 quorum aliqui agunt † an licitum sit à Roma aliò Sedem Apost. transferre, quod ex instituto disputarunt

Alphons. de Mendoza *d. disp. 4. Cardin. Jacobat. de Concil. lib. 8. in 6. art. Cardin. Bellarm. dict. tom. 1. de Romano Pontif. lib. 4. cap. 3. vers. 2. hoc idem, & alii citati à Cened. ad Decretum collect. 11. n. 4. & à Lotter. dict. 9. 46. n. 19.*

Et quod Romana Ecclesia omnium aliarum, omniumque fidelium mater sit, & magistra, atque super omnes Primatum obtineat, probant text. *in d. cap. quamvis, & in dict. cap. sacrosancta, in cap. 2. de Summa Trinit. & in cap. antiqua 23. de privileg. cum multis aliis adductis plenissimè per Cordub. dict. quest. 1. art. 2. Mendoza d. quest. 4. scholast. §. 4. Turrecrem. de potest. Eccles. lib. 2. cap. 36. Albertus Pighius d. cap. 12. Can. de locis Theolog. lib. 2. cap. 4. Bannes in 2. 2. D. Thoma, cap. 2. concl. 5. Covar. lib. 4. var. cap. 12. num. 1. Illustriss. Cardin. Bellarm. virtute & litteris insignis, Catholicæque religionis strenuus propugnator, d. tom. 1. de Romano Pont. cap. 12. cum sequentibus, Cardin. Tusch. utriusque Juris consultissimus, prout præclari, indefessique laboris monumenta attestantur, in præct. conclus. tom. 7. lit. R, conclus. 363. Cardin. Mantica assidua negotiorum experientia eruditissimus de conjecturis ult. volunt. lib. 8. tit. 5. num. 4. Jacob. de Grassiis tom. 2. consil. lib. 3. tit. de clericis non resid. conf. 1. n. 4. plenissimè Marta de jurisdic. part. 1. cap. 13. à num. 19. ubi per multa sequentia capita omnia argumenta in contrarium plenissimè resolvit. Valer. Reginald. in praxi fori penitent. lib. 1. num. 22. Fr. Paulin. Berty Lucensis in praxi criminali Regul. tit. 2. cap. 14. num. 4. & 5. Victorin. Mans. de Ecclesiast. Magistrat. lib. 2. cap. 4. & 5. Homobon. de statib. humane vite, part. 1. cap. 4. num. 1. & cap. 6. vers. in primo gradu, novissimè Mich. Ferr. de precedent. Ecclesiast. quest. 31. plures ex antiquioribus refert Cened. d. collect. 11. n. 4. & 5.*

Romæ, & universalis Ecclesiæ Pontificem succedere Petro in Ecclesiastica monarchia, tam ex divino jure, quam ratione successionis, Conciliorum auctoritate, Summorum Pontif. Græcorum, & Latinorum Patrum, aliorumque testimoniis, & auctoritatibus probat idem Cardin. Bellarm. *d. tom. 1. lib. 2. cap. 12. & 13. † Nullum enim in terris superiorem habet, cap. cuncta per mundum 9. quest. 3. cap. licet, cap. Venerabilem, de elect. Flamin. de resignat. lib. 7. quest. 5. num. 1. & 2. Don Garf. Maltrillo de magistratib. lib. 1. cap. 2. num. 4. Et est † Ordinarius Ordinariorum, & totius Orbis, cum totus mundus Papæ sit territorium, dict. cap. cuncta per mundum, cap. per principalem, 8. quest. 3. Camill. Borel. in sum. omnium decis. tit. 4. n. 10. Gonzal. ad reg. 8. Cancell. §. 2. proæm. num. 44. † Et omnes eidem parere, ipsumque in Primatem recognoscere debent, c. sacrosancta, cap. de Constantinopolitano, 22. dist. Gonzal. §. 1. proæm. n. 8. Licet autem in proæmio Decretalium, aliisque in locis servus servorum Dei nominetur, intelligitur quantum ad humilitatem, nam quantum ad potestatem est Dominus dominorum, Azor. instit. moral. part. 2. lib. 3. c. 19. quest. 1. vers. Baldus, Flamin. d. lib. 8. q. 7. n. 101.*

Unde Summum Pont. saltem in habitu directè habere potestatem sæcularem immediatè à Christo Domino sibi commissam, ita ut possit per seipsum eam, ut directam, reducere ad actum, licet frequentius illam exercent per Imperatores, & Reges ab ejus manu eandem accipientes, tenent Innocent. *in cap. licet, num. 8. & 9. de foro comp. & post Host. Panorm. in cap. novit, num. 13. de judic. post glos. ibi, & post glos. 1. in cap. causam qua, in 2. qui filii sint legit. cui similis verb. Ecclesia, in Clem. ad nostram, de heretic. Bart. in l. 1. §. Præsides, ff. de requir. reis, Hieron. Alban. tract. de potestat. Papæ, p. 2. num. 15. cum segg. Alvar. Pelag. lib. 1. de planctu Eccles. cap. 24. Palat. de obtentione regni Navarra, §. 6. Cov. in reg. peccatum, part. 2. §. 9. num. 7. vers. 1. Nav. in d. cap. novit, notab. 3.*

notab. 3. sub num. 19. Menoch. illust. lib. 1. cap. 20. num. 2. & cap. 21. num. 1. Marta de Jurisdic. part. 1. cap. 19. quod loci junctis capitulis sequentibus usque ad cap. 23. inclusivè, & junctis præcedentibus, pluribus mediis hanc sententiam tenaciter defendere intendit Leonard. Duard. in comment. ad Bull. Cæne, lib. 2. can. 14. q. 8. n. 13. & can. 15. q. 18. Torrebl. de magia lib. 3. cap. 4. Solorzan. de jure Indiar. tom. 1. lib. 2. c. 22. cum seqq. Larrea Grenat. decis. 1. à n. 5. ex Theologis S. Antonin. tit. 3. de dominio regnorum, cap. 2. & part. 3. sum. tit. 2. 2. cap. 5. §. 17. August. Triump. in princ. sum. de potestate Ecclesie, S. Bonavent. in 4. dist. 37. in exposit. lit. dub. 4. Hentic. Gandav. in quodlib. 6. quest. 23. Roder. Sanch. Episcop. Zamoran. lib. de origine, & differentia principatus, part. 1. Alexand. Alens. 4. part. sum. quas. 19. part. 2. §. 1. B. Joan. à Capistrano de auctoritate Papæ, part. 1. secunda partis, num. 4. & 5. Alvar. Pelag. de planctu Ecclesie lib. 1. cap. 13. Cels. Manc. de juri- bus principatum, lib. 3. cap. 1. & 2. Paulus Ciera in tract. de jure Principum, c. 6. cum sequentibus, Alexand. Pefant. de potestate Romani Pont. Thom. Boz. de ruinis gentium, & regnorum, lib. 2. Sot. lib. 4. de justit. quas. 4. art. 1. ibi; Arbitrati sumus Christum quatenus hominem non fuisse Regem, non quod non potuerit, erat quippe Deus, sed quia neque eum decuit, neque subinde voluit, &c. Jof. Ragul. in 3. p. S. Thomæ, disp. 22. art. 6. quest. 22.

20 Probatum hæc sententia. Summus Pontifex Petri successor, & Christi Vicarius nobis Christum repræsentat qualis erat dum hic inter nos viveret: atqui in Christo Domino nostro dum vixit, fuit Regia potestas temporalis: ergo Summus Pont. Petri successor habet temporale dominium. Major per se patens est, & constat ex dictis, & præcipue ex illo Joan. 21. Pasce oves meas, & Matth. 19. Tu es Petrus, &c. ubi Dominus loco sui Petrum constituit universalem suæ Ecclesie Pastorem, illimitatamque reliquit hanc sibi promissam, & traditam potestatem: unde D. August. Sicut, inquit, in Salvatore erant omnes causa Magistri, ita & post Salvatorem in Petro omnes continentur. Et Chrysolog. super Acta Apostolorum. Ita, inquit, Petrus à Filio super omne quod est Filii, potestatem accepit, non ut Moyses in gente una, sed in universo Orbe. Quamobrem necesse est fateri eandem esse auctoritatem Petri, quam Christi, & Summi Pont. quam Petri. Manet, inquit S. Leo, dispositio veritatis, & Beatus Petrus in accepta fortitudine Petra perseverans, suscepta Ecclesie gubernacula non reliquit, perseverat videlicet Petrus, & vivit in successoribus suis. Et Philippus Presbyter Apostolicæ Sedis Legatus in Concilio Ephesino circa an. 430. ut habetur tom. 2. c. 16. sic dicit: Nulli dubium, imo seculis omnibus notum est, sanctum, Beatissimamque Petrum Apostolorum Principem, & caput, Fideique columnam, Ecclesie Catholica fundamentum, à Domino JESU Christo Salvatore nostro, humanique generis Redemptore, cælestis regni Claves accepisse, solvendique, atque ligandi potestate, quam acceperat, usum fuisse, necnon per successores suos hucusque semper vivere, causasque decernere, semperque victurum esse.

21 Minor verò, quatenus habet Christum Dominum, dum in terris ut homo vixit, universalem fuisse mundi Dominum, ac Regem universorum, probatur Matth. cap. 10. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et cap. 28. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Probatum etiam ex pluribus Apost. locis, qui præcipue scribens ad Coloss. cap. 1. inquit de Christo: Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creatura, quoniam in ipso condita sunt universa in cælis, & in terra, visibilia, & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant: & ipse est caput corporis Ecclesie, qui est principium, primogenitus ex mortuis. Et ad Hebr. Aug. Barbosa de Episcop. Pars I.

cap. 1. Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime loquutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit & sæcula. Joannes etiam in apocal. cap. 1. dicit, quod JESUS Christus est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & Princeps Regionum terræ: & cap. 11. quod audivit vocem multorum dicentium: Factum est Regnum hujus mundi Dei nostri, & Christi ejus. Et cap. 19. Cum prius exarasset quomodo apparuerit ei ille, qui dicitur Verbum Dei, refert quod habet in vestimento, & in femore suo scriptum, Rex regum, & Dominus dominantium.

23 Quod si insurgat aliquis dicens, quomodo Christiani Regem dicimus sine propugnatoribus, sine magistratu, &c. responderet Isai. Propheta cap. 9. factus est principatus super humerum ejus; quem locum Nicetas in Nazianzenum in orat. de nativitate, juxta interpretationem antiquorum Patrum explicans, per humeros Christi, vires ejus intelligens, ait: Omnes alii Reges non in propriis viribus imperium suum, & regnum habent constitutum, sed in aliis, puta in militibus, & satellitibus, & propugnatoribus: Christus autem solus principatum suum super humerum habuit.

23 Consequentia rectè inferitur: quia Petrus, qui adhuc perseverat, & vivit in successoribus suis, ut supra probavi, accepit Pontificatum, & regimen totius populi Christiani, & in Vicarium electus fuit Christi, cujus jurisdictionis sunt omnia regna mundi. Unde in ejus solemnitate exultans Ecclesia canit: Tu es Pastor ovium, Princeps Apostolorum, tibi tradidit Deus omnia regna mundi. Et super illa verba: Tibi dabo claves, infert Chysolog. Filius Dei ubique terrarum Petro concessit potestatem, & homini mortali omnium quæ in cælo sunt, dedit auctoritatem, ut potestate Clavium Ecclesiam amplificaret. Inde D. August. serm. Fortis & humilis, admirans ait: O mira potentia, o ineffabilis gratia Salvatoris, quis plebeium Piscatorem Apostolorum facile crederet Principem, & Regibus obsistere, Reges sanctificare, Regibus omnibus imperare, mundum refrenare legibus? Sicut Christus accepit à Patre Deo sceptrum Ecclesie gentium, ex Israël egrediens super omnem principatum & potestatem, & super omne quodcumque est, ut ei genua cuncta curventur: sic & Petro, & ejus successoribus plenissime commissum. Si igitur Christus Dominus est directè, absolute, verè, realiter, legitime, ut monstratum est evidentissime, totius mundi, & omnium hominum qui sunt in eo, tam quoad ea, quæ ad spiritum pertinent, quam quæ ad corpus: Ergo etiam Summus Pontif. dominus est directè, absolute, verè, realiter, legitime totius mundi, & omnium hominum, qui sunt in eo, tam quoad ea, quæ ad spiritum pertinent, quam quæ ad corpus: nam, ut infert Chrysolog. in persona Christi loquentis ad Petrum, quia amas me, coram ipsis, jam tibi confirmo quod mecum est plenum: & idè D. Thom. in fine lib. 2. sententiæ dicit quod Papa utriusque potestatis apicem tenet, scilicet spiritualis, & sæcularis, hoc illo disponente, qui est Rex, & Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, & Dominus dominantium, cui potestas non auferetur, & regnum ejus non corrumpetur.

24 Nihilominus tamen veriùs dicendum puto, Summum Pontificem super universum Orbem ex Summo Pontificatus officio directè non habere etiam in habitu potestatem sæcularem ab spirituali distinctam, per quam more aliorum Regum possit eo modo in temporalibus civiliter gubernare, & statuere, quæ proximè spectant tantummodo ad finem temporalem, & politicum: & hanc sententiam tenent D. Thom. in opusculo de regimine Principum, lib. 3. cap. 2. cum sequentibus, & part. 3. quest. 59. art. 5. Sot. de justitia lib. 3. quas. 4. art. 1. colum. 4. vers. quod sit & in 4. distinct. 25. quest. 2. art. 1. conclus. 3. Dicendo de libertate Christiana lib. 1. cap. 9. & cap. 15. Cajetan.

Caietan. tom. 1. tract. 2. de auctoritate Papa & Concilii, cap. 13. ad 8. Victoria in relect. super cap. ult. Matthai, num. 27. & de potestate Ecclesia, relect. 2. quast. 5. num. 8. Alphonsus Alv. Guerrero in speculo Principum, cap. 16. Cardin. Bellarm. controu. 3. generali, lib. 5. de Romano Pontifice, cap. 1. versic. Tertia sententia, & cap. 3. & cap. 6. Molina de iustitia tract. 2. disp. 29. colum. 43. vers. his prenotatis, Suarez de legibus lib. 3. cap. 6. sub num. 3. cum sequentibus, & de defensione Fidei Catholice contra Anglicanae secta errores, lib. 3. cap. 5. num. 8. Rebell. de obligationibus iustitia, part. 2. lib. 18. quast. 23. late Anguian. de legib. lib. 2. controu. 17. per tot. & precipue a num. 29. Azor. instit. moral. p. 2. lib. 11. cap. 5. quast. 6. Param. de orig. Inquis. lib. 3. quast. 3. opin. 4. Morl. in emporio juris, part. 1. tit. de iurisdic. quast. 4. Cevall. de cognit. per viam viol. in prolog. num. 9. in fine, & n. 12. Maynard. de privileg. Eccles. part. 1. art. 6. num. 1. Salgado de protect. Regia tom. 1. p. 1. cap. 1. pral. 1. num. 55. Gabr. Pereira de manu Regia part. 1. pral. 1. num. 4. & 5. Antonin. Diana moral. resol. part. 1. tract. 2. resol. 121. Benedict. Aegid. in repet. l. ex hac jure, part. 1. cap. 3. num. 17. ff. de iustit. & jure, novissime R. P. Juniper a Drapano pro iuris Pontificii defensione quast. 1. cap. 2. n. 9. cum seq.

Hujus sententiae plura, & validiora sunt fundamenta, & a priori ostenditur, quia Summus Pontifex, ut Christi Vicarius, ex officio Summi Pontificatus nullam aliam potestatem habet, nisi eam solum, quam in lege Gratiae Christus Dominus, quatenus homo, dum in terris vixit, immediatè contulit eidem, arg. text. in cap. 2. & 3. de officio Vicar. lib. 6. delegatio enim nullam aliam in delegato iurisdictionem ponit, nisi eam, quae a delegante concessa est, juxta text. in l. 1. §. qui mandatam, ff. de officio ejus, cui mandata est iurisdic. 6. Planè † Christus Dominus, quamvis potuerit insuper dominium politicum rerum omnium, & principatum, & ita monarchiam temporalem cum suprema potestate saeculari super universum Orbem, & super omnes Principes ipsius principaliter, & directè exercere, tamen hujusmodi temporalem monarchiam, & potestatem de facto non exercuit, nec exercere voluit, juxta illud Joan. 18. regnum meum non est de hoc mundo; & juxta alia plura, quae ad hoc probandum congerunt Victoria de potestate Ecclesiastica relect. 1. quast. 5. n. 16. cum sequentibus, Valentia d. puncto 6. colum. 2. Tolet. in cap. 18. Ioan. annot. 25. & 26. Cardin. Bellarm. d. lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 4. Licet oppositum, imò quod Christus Dominus de facto exercuerit temporalem monarchiam super universum Orbem, defenderint Albert. Pighius lib. 5. hierarchia Ecclesiastica, cap. 3. Almayn. de potestate Ecclesiast. cap. 8. Navar. in cap. novit, notab. 3. num. 130. de iudiciis, Modernus de iurisdic. part. 1. cap. 18. quorum fundamentis dilucidè respondent Victoria, Bellarminus, & caeteri supra citati, explicantes locum Matth. ult. ibi, data est mihi omnis potestas in caelo, & in terra, ut intelligatur de potestate Christo data super regnum spirituale, & super omnia etiam temporalia, in ordine ad finem ipsius supernaturalem.

Nec nos in contrariam opinionem adducere possunt plures auctoritates, quibus innitantur contrariae opinionis Auctores ad probandum Summum Pontificem saltem in habitu directè habere potestatem saecularem immediatè a Christo Domino, quam de facto ipse habuerat super universum Orbem: licet enim negare non possimus, eum per se, & directè habuisse ex dono Patris excellens quoddam dominium, & potestatem in res omnes creatas, & super omnes omnium hominum, imò & Angelorum actiones, ita ut non solum ad finem supernaturalem Ecclesiae universalis, sed etiam absolutè potuerit, & possit de rebus omnibus temporalibus ad libitum disponere, & eatione dici possit Dominus Orbis, & Rex regum,

etiam quoad omnia temporalia, ut advertunt Molina d. disp. 28. col. 4. in fine, vers. restat, & concl. 4. & 5. Suar. disp. 48. sect. 2. col. 3. vers. dico secundo, cum sequentibus, sic intelligentes locum Matth. ult. ibi, Data est mihi, &c. & illud Apocal. 1. Princeps Regum, &c. & in cap. 10. Rex Regum, & Dominus dominantium: tamen ea non communicavit Vicario, prout eidem non communicavit illa pleraque etiam pertinentia ad potestatem excellentiae, ut pulchrè docet Divus Thom. in opusculo de regimine Principis, lib. 3. cap. 10. quem sequuntur Navar. d. notab. 3. n. 130. Molina d. disp. 29. col. 14. in princ. Suar. d. disp. 2. ante finem.

Deinde hanc nostram sententiam non infringit auctoritas Christi Domini, Joan. 21. ibi, Pasce oves meas; quia in ea solum impletur illa promissio, quae Petro a Christo Domino facta fuerat, Matthaei 16. ibi, tibi dabo claves regni caelorum, ut post alios resolvit Suarez de legibus lib. 3. cap. 6. num. 4. & lib. 4. cap. 2. num. 10. & cap. 3. num. 1. Per has autem Claves solum significatur potestas spiritualis suprema, non verò temporalis directæ, ut post alios resolvit idem Suarez d. lib. 4. cap. 1. num. 3. cum sequentibus.

Nec enim nos deterrent pleraque Jura, quae juxta omnium ferè Doctorum mentem Summo Pontifici tribuere videntur saecularem potestatem, in cap. 2. dist. 22. & in Extravag. unam sanctam, de majorit. & obed. inter communes, & in Extravag. unic. post princip. vers. sanè, ne Sede vacante, Joan. XXII. Nam text. in d. cap. 1. & in d. vers. sanè, dum inquirunt, quod Christus Dominus Summo Pontifici in persona Beati Petri aeterna vita clavigeri commisit iura terreni simul, & caelestis imperii, non agunt de potestate aliqua saeculari Summi Pontificis, sed solum de Ecclesiastica, quam Christus Dominus eidem concessit, Matthaei 15. dum ei promisit, & tandem dedit Claves regni caelorum, ut possit ligare, & solvere super terram, id est, omnes fideles existentes in imperio terreno: & quodcumque ligaret, & solveret super eam, esset ligatum in Caelis, id est, in imperio caelesti, ut ita Summus Pontifex haec utriusque imperii jura haberet Ecclesiastica, ut considerat sic illos textus intelligens Card. Bellarm. ubi supra, & Anguian. d. controu. 17. n. 54. ubi n. 64. agit de intellectu d. Extrav. unam sanctam, quam etiam refert, & sequitur Diana p. 1. tract. 2. resol. 122.

Quo retento sensu dici potest, Nicolaum Papam (qui juxta communem, de qua tamen dubitat Cardinalis Bellarminus, auctor est praedicti cap. 1.) non videri sibi ipsi adversari in cap. cum ad verum, 96. dist. quatenus ibi asserit Christum Dominum distinxisse potestatem, & officia Pontificis, & Imperatoris, ne aut Imperator jura Pontificis, aut Pontifex jura Imperatorum praesumeret usurpare: nam in hoc textu loquitur de potestate saeculari formaliter sumpta in suum finem naturalem, & hanc negat in Summo Pontifice: in illo verò loquitur de potestate materialiter tantum saeculari in ordine ad finem supernaturalem, & hanc Summo Pontifici concedit.

Primo, ex dictis infertur, Summum Pontificem, quia talem, ex vi Pontificalis officii habere sufficientem potestatem super omnia negotia saecularia, etiam inter saeculares, ut de illis judicet, & disponat quando id expedierit ad quietem, & conservationem, ac Ecclesiae defensionem, & ad bonum spirituale, & ad finem Ecclesiasticae potestatis supernaturalem assequendum, ut ultra Ordinarios per text. ibi in cap. cum ad verum, 96. dist. & in Extravag. unam sanctam, de majorit. ac Theologos in 4. dist. 24. latissime disputarunt, sic resolventes Cardin. Turrecrem. de potestate Eccles. lib. 2. cap. 113. cum seq. Albertus Pighius de Ecclesiastica hierarch. lib. 5. Driedo de libertate Christiana lib. 1. cap. 15. cum seq. & lib. 2. cap. 2. Sor. de iustitia lib. 4. quast. 4. art. 1. Henric. de Gandavo quolib. 6. quast. 23. Caietan. in apologia, tom. 1. opusculo

opusculorum, tract. 2. cap. 13. ad 8. & 2. 2. quest. 43. art. 8. Fr. Anton. de Corduba in quest. lib. 1. quest. 57. Victoria relect. 1. sect. 5. & relect. 5. sect. 2. à num. 3. & in relect. de Indis, & Insularis, part. 1. à num. 26. & ad cap. ult. Matthæi, num. 29. Molina de justitia tract. 2. disp. 29. vers. Tertia conclusio, Rebell. de obligation. justitiæ, part. 2. lib. 14. quest. 23. sect. 1. n. 2. & 3. & sect. 5. n. 29. Aldrete in allegatione pro commoda Regularium exemptione, part. 1. cap. 5. n. 13. Suarez de legibus lib. 3. cap. 7. n. 5. & de defensione Fidei Catholica, lib. 3. cap. 22. Illustriss. Card. Bellarm. de Romano Pontifice contro. 3. generali, lib. 5. c. 5. Ex nostris Canonistis Covar. practicarum c. 1. num. 2. concl. 2. & in reg. peccatum, part. 2. §. 9. n. 7. Navarr. in d. c. novit, notab. 3. Joan. Salgado de Araujo in l. Regia Lusitana, discursu 1. n. 41. cum seqq. Cevall. communium contra communes, quest. 759. Morla in emporio Juris Civilis, tit. de jurisdic. omnium judicum, quest. 4. Cardin. Tusc. practicarum conclus. tom. 6. concl. 45. Valenzuel. pro monitorio Pauli V. p. 7. à n. 45. Balboa ad cap. fin. n. 4. de præscript. Petr. de la Escalera Guevara in didascalica de utroque brachio, p. 2. n. 87. latè Joannes Fajardo ad c. tanta, qui filii sint legit. membr. 1. n. 72. cum seqq. ubi sæpissimè me citato in hoc loco; qui omnes latissimè agentes firmiter tenent Summum Pontificem directè potestatem non habere in temporalibus, & procedere d. c. cum ad verum, d. cap. novit, cum similibus; eam tamen habere causaliter, & indirectè in ordine ad spiritualia, quoties scilicet ad spirituale bonum fuerit necessaria, & procedere d. Extravag. unam sanctam, & cap. per venerabilem, qui filii sint legitimi.

32 Secundò infertur Summum Pontificem super infideles habere potestatem generalem gubernativam, proindeque posse cognoscere, judicare, & disponere de eorum negotiis sæcularibus, quatenus opus fuerit ad defensionem Ecclesiæ, seu Principum fidelium, etiam sæcularium, & Regnorum, aut statuum ipsis subjectorum, & ad expediendam prædicationem Evangelicam. Ita Covar. in reg. peccatum, part. 2. §. 10. sub n. 4. & §. 9. sub n. 6. propè finem, Navar. d. notab. 4. n. 58. Greg. Lopez l. 2. glos. 3. col. 6. tit. 23. part. 2. Victoria super cap. ult. Matthæi, n. 27. Illustriss. Cardin. Bellarm. contro. 3. generali, lib. 5. de Romano Pontifice, cap. 2. Suar. de legibus lib. 3. cap. 6. n. 1. & c. 10. Marc. Anton. Genuent. in practicabil. Ecclesiast. quest. 616.

33 Directè tamen super infideles potestatem temporalem gubernativam non habet, nec de eorum negotiis potest cognoscere, judicare, aut disponere, juxta Doctores supra citatos; ex eo, quia quæcunque potestas gubernativa competens summo Pontifici, quæ tali, non competit ei, nisi quia est caput ipsius Ecclesiæ, gerens ipsius Christi capitis vices in corpus mysticum ejusdem, id est, in ipsam Ecclesiam militantem, ut palam est apud omnes Catholicos, & prosequitur Illustriss. Cardin. Bellarm. d. contro. 3. de Romano Pontifice, lib. 2. cum sequentibus, maximè cap. 16. & 31. col. 3. ante medium.

35 † Unde eam potestatem non habet in homines, nisi quæ sunt membra hujus corporis, & Ecclesiæ, mediante scilicet Baptismo fideles facti, & incorporati cum Christo ejus capite, juxta text. in cap. Dominus noster, §. 6. dist. & in cap. ult. de Presbytero non baptizato. Deinde Christus Dominus Ioan. 10. inquit quod in fine sæculi fiet unum ovile, & unus pastor, quia ante sæculi finem non omnes sunt oves hujus ovilis, ac proinde nec omnes Summo Pontifici ejusdem Pastori directè subjiciuntur quoad aliquam potestatem gubernativam, ut sunt illi, qui illud adhuc non intrarunt per Baptismum, sed in infidelitate persistunt. † Nec in qualibet Republica infidelium etiam barbarorum, licet opinione nostra videantur vivere more ferino absque politica gubernatione, habet Summus Pontifex directè potestatem temporalem gubernativam, quia hi intra suas Respubl. aliam, quàm sibi propriam, &

36 Aug. Barbosa de Episcop. Pars I.

immediatum superiorem non recognoscunt; habent namque immediatè ab ipsa natura potestatem supremam civilem, ita ut per eam gubernari possint suo modo in ordine ad propriam conservationem, & sic istis infidelibus est vera jurisdicção, ut comprobatur Garc. Mastrill. de magistrat. lib. 1. c. 9. per tot.

37 Hinc per transfennam admonerem nostros Lusitanos quàm injustè procedant plures, qui ut fama fert, in regionibus infidelium, præsertim in Guinea, solent ex malitia, vel ex crassa ignorantia emere Æthiopes, & in servitutem injustam reducere, illos scilicet, quos vident ad propria eorummet Lusitanorum navigia per vim, vel fraudem trahi, vel absque culpa pro delicto patrisfamilias perpetuæ servituti barbarè damnari: unde optima ratione hos liberorum hominum injustos venatores arguit Rebel. de obligat. justitiæ p. 2. lib. 18. quest. 23. sect. 5. n. 30. cum sequentibus, inde benè advertens, oportere quod Regii magistratus habita hujusmodi injulti commercii plena informatione remedium aliquod efficax adhibeant, quod etiam admonet Molina d. tract. 2. disp. 35. ubi disp. 36. & 44. latè prosequitur casus, in quibus Lusitani mercatores possunt absque peccato emere, vendere, vel asportare, aut retinere prædicta mancipia.

38 Hinc etiam consequens est, Summum Pontificem non posse hujusmodi infideles debellare, & eos in suam recognitionem compellere per se, vel per alios Principes fideles, pro eo solum quod eum recognoscere nolint in dominum suum, & totius Orbis temporalem. Ita tenuerunt ex nostris Joan. Andr. in addit. ad Speculat. tit. de Judæis, col. 2. prope finem, Innoc. in c. quod super his, de voto, Covar. in reg. peccatum, 2. p. §. 10. sub num. 4. & §. 9. sub n. 6. prope fin. Nav. d. notab. 3. n. 58. Gregor. Lopez l. 2. gloss. 3. col. 6. in princip. & col. 14. post princ. tit. 23. part. 2. Mar. Anton. Genuent. d. quest. 916. Tapia de constit. princip. cap. 1. num. 54. Card. Mastrill. d. cap. 9. num. 10. Ex Theologis D. Thom. 2. 2. quest. 12. art. 2. ubi Caietan. quest. 66. super 8. vers. circa 1. Victoria super cap. ult. Matthæi, num. 27. August. de Ancona in tract. de potestate Papa, quest. 23. art. 3. Suar. de legibus lib. 3. cap. 10. & cap. 6. num. 1. Illustriss. Cardin. Bellarm. d. contro. 3. generali, lib. 5. de Romano Pontifice, cap. 1. Anguian. de legibus lib. 2. contro. 17. num. 11. ubi limitat nisi diriperint ea loca à Christianis, & ita malè retineant. † Nec obstat, quod post adventum Christi 39 Domini omnis principatus, dominium, & jurisdicção translata sunt ab infidelibus in Fideles, juxta illud Ecclesiastic. 10. Regnum à gente in gentem transferetur propter injustitias: consonat cap. translato, de Constit. quia responderetur prædictam principatus translationem referendam esse ad solam potestatem, & punitionem divinæ Majestatis: hæc autem cum nobis occulta sit, consequitur quod licet Deus possit ob injustitias, & alia gentium crimina ab eis tollere regna, & principatus, & regni dominium, tamen † Romanus Pontifex, aut quilibet alius fidelis non poterit infideles, quantumvis sceleratos, utpote ipsius imperio non subjectos, privare sua ipsorum potestate civili publica, & dominio rerum suarum, juxta reg. text. in l. ult. ff. de jurisdic. omnium judicum, & in cap. ult. de constit. juncta reg. text. in l. id quod nostrum, de regulis juris, ut bene advertit Covar. d. §. 10. sub num. 2.

41 Ex quibus omnibus colligitur, optimo jure poviisse Summum Pontificem Alexandrum VI. inter Reges Castellæ (regnantibus in ea Regibus Catholicis Ferdinando, & Elisabetha) & Reges Portugaliæ (regnante Joanne I.) dividere terras infidelium, easque eisdem donare sub ea conditione, ut in conversionem prædictorum infidelium tenerentur mittere personas idoneas, quæ fidem Christi eisdem prædicarent, & suaderent, ut testatur Joannes de Ochoa in Carolea, part. 1. fol. 141. pag. 2. in medio, Gregor. Lopez dicta gloss. 3. col. 1. post med. Cardin. Bellarm. L 3 lib. 5.

lib. 5. de Romano Pontifice, cap. 2. in fine, Marta de Jurisd. part. 1. c. 24. num. 32. Sur. in comment. rerum in Orbe gestarum, pag. 10. versic. porrò, & plenius Lusitanus noster Joannes de Barros decade 1. lib. 3. cap. 11. quem latinè transcripsit P. Maphæus lib. 1. hist. Indiae, in hæc verba: Is (scilicet Alexand. V I.) cognita rerum causa, ne quando lis ad arma deducitur, ultra Hisperidum insulas ad trecentesimam ferè leucam & quadragesimam, ducto à septentrionibus ad Australem polium circulo, totum terrarum Orbem ex æquo bisariam secuit. Quæ pars vergebat in Orientem, hanc Ioannes facta sibi ob juris antiquitatem optione desumpsit, occidua Ferdinando relicta, &c. plenissimè rem hanc à suis primordiis prosequitur Rebell. d. part. 2. lib. 18. quest. 23. sect. 2. cum sequentibus, juncta sect. 1. Constat ergo Summum Pontificem prædictas terras divisisse, non ad eum finem simpliciter, ut Reges illic proficiscerentur ad debellandos illos infideles, & eorum Regna absolutè occupanda, sed solum conditionaliter, prout scilicet postularet ordo, & processus prædicationis Evangelicæ, & conversionis infidelium inibi præsentæ, & eisdem Christianis Regibus à Summo Pontifice commissa, & ita servatis servandis, & in casibus, in quibus in ordine ad eam licita esset illa concessio, & belli indictio, videlicet quando aliter non possent eò adduci Prædicatores Fidei Christianæ, nec rursus protegi, ac defendi, tam ipsi, quàm Christiani ad Fidem conversi, ut bene in effectu respondet Victoria in relect. 1. super cap. ult. Matthæi, de titulis, quibus barbari potuerint venire in ditionem Hispanorum, num. 12. cum sequentibus: sequitur Gregor. Lopez d. glos. 3. col. 6. in princip. & col. 13. à vers. quarta conclusio, expressit Card. Bellarm. d. cap. 2. ad finem. Est enim receptissima omnium Doctorum sententia, quod licet ipsi infideles ad Dei veri cultum, & sacri Baptismatis susceptionem inviti compelli nequeant; nihilominus tamen si impediant, & resistent Prædicatoribus missis ad sanctum Dei Evangelium prædicandum, Catholicamque Fidem suscipere recusent, possunt Principes Christiani, ut ministri Pontificis, debellare illos infideles, efficiendo ne Fidei, & ejus Prædicatoribus injuriam, violentiam, aut impedimentum inferant. Ita Cov. in reg. peccatum, p. 2. §. 10. num. 13. vers. quartò licitum, & §. 11. num. 5. vers. fateor planè. Sanchez in 2. 2. quest. 10. art. 10. col. 528. vers. tertia, & quarta conclusio, P. Molin. de justit. tract. 2. disp. 105. & in materia de fide q. 20. art. 8. Azor. instit. moral. p. 1. lib. 8. cap. 26. q. 7. Lorca in 2. 2. q. 11. art. 1. sect. 3. Suar. de Fid. lib. 1. disp. 18. sect. 2. n. 8. & contra Anglic. sectæ errores 1. p. c. 10. Solorzan. de jure Indiar. lib. 2. cap. 10. Benedict. Egid. in rep. l. ex hoc jure, p. 1. c. 3. n. 16. ff. de justit. & jure, Fr. Thom. à Jesu Maria lib. 5. de procuranda omnium gentium salute, p. 1. dub. 3. Seraphin. de Freitas de justo Imperio Asiatico, c. 9. n. 6. & 7.

42 Anno Domini 1492. Alexandri VI. Pontificis maximi auctoritate Reges Catholici Ferdinandus, & Elizabeth Christophorum Columbum, & Emmanuel Rex Lusitanus Petrum Alvarium, & alios fortes viros ad ignotas ad id tempus terras, ignotiora maria, tum ad ortum Solis, tum ad occasum scrutari miserunt, novasque in Oceanum Reges classes pararunt, semperque curarunt ut rectam religionem in omnes partes, quoad eorum fieri posset, extenderent, verbumque Dei longè & latè disseminarent; denique novum Orbem aperuerunt, arcanum depositum, & limitem ad novum imperium ex providentia divina, ita ut America sola dicta ab Americo Vesputio Florentino inventore, quartam partem Orbis contineat, ex Genebrardo lib. 4. anno 1497. quod feliciter consequuti sunt; nam ex longinqua navigatione (ad quam neque fabulosi illi Argonautæ, neque in cælestium numero falsò relati Bacchus, Herculeve unquam aspirarunt) effectum est, ut cum Orbem terræ universum tres in

partes diviserit antiquitas, inventi demùm hi novi tractus quartam adjecere, si quarta appellanda est, quæ una reliquis omnibus magnitudine ferè par est, cum plura regna contineat, quàm quæ Alexander, & Trajanus vi expugnaverint, & quàm quæ omnes unà Reges simul possideant: tempore enim quo nationes, quæ Catholicam Fidem summa cum admiratione amplecti solebant, illam fœdè maculant damnatas sectas Lutheri, & sequacium sectantes, violando religionem patriæ, & debitam Pontifici Max. obedientiam, & Ecclesiæ Romanæ denegando; tunc loco gentium, quæ cum ab ea sint educatæ uberioribus doctrinis, ab illa deflectunt, Hispania novas plantas, novosque filios matri Ecclesiæ affert, & acquirit, detestabilique Deorum inanum cultu sublato ex regione eorum, qui falsam doctrinam docent, ad insulas longè, ut inquit Isaïas, atque ad ultimas terras per Hispanos, & Lusitanos illata migrat Religio Christiana, ut impleatur illud Ecclesiastici cap. 10. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti alienæ; & apertius Matth. cap. 8. Amen dico vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno Cælorum; filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. Quod quidem tempore Emanuelis invictissimi Regis Lusitanæ ulterius prosequutum, amplissimaque terrarum spatia in Orientali India patefacta, mittentis in dies Episcopos, Presbyteros, aliosque egregios sanctitate, religione, & pietate viros ad docendos Indos in fide, ita ut ejus tempore, ac successorum triginta provinciæ cum totidem Regibus sint ad Fidem redactæ, illique Lusitanæ Regibus subiecti, & tributarii. Et jam eo ex tempore, quo Lusitani proprium Regem sortiti sunt, pro Christi Fide cum hostibus in Africa, & Asia manus conseruere, non solum Mauros à finibus sui Regni expellentes, sed in Æthiopia, Arabia, ac universo Oriente, & (ut uno verbo dicam) ultra Indum, & Gangem pugnando proprio sanguine Christi Fidem ferè per universum Orbem propagarunt, & in ea loca pervenerunt, quæ nec Semiramis, nec Dionysius, nec Magnus Alexander auditione perceperunt, nec fama ad eorum aures pertulit, quamvis aliquam partem superarint. In Occidentali verò parte Caroli V. sæculo octodecim provinciæ cum octodecim Regibus Catholicam Fidem sunt professæ, & in solo Mexicano regno Baptizati sunt quater decies centena hominum millia, ita ut in archivis Caroli Cæsaris habeatur quendam Sacerdotem baptizasse septies centena hominum millia, alium tercenta millia, alium centum millia, alios plures, alios pauciores, ut refert Laurentius Surius in commentariis historia, an. 1518. fol. 515. & Christianam diligentiam extollunt Paulus Jovius lib. 12. historia, Bossius de signis Ecclesiæ lib. 17. signo 78. cap. 4. Curia lib. 2. in historia Catholic. Regum, cap. 13. & 19. Natalis Comes in historia sui temporis, lib. 1. fol. 6. & lib. 21. an. 1570. fol. 445. Anastas. Germon. de sacrorum immunitatib. lib. 3. cap. 13. num. 10.

Restat videre qualiter Summus Pontifex Alexander VI. potuerit eam Prædicationis Evangelicæ, & conversionis infidelium curam, & negotium, ac totum illud cum illis regionibus commercium solis Portugaliæ, & Castellæ Regibus committere, & insuper vetare, ne alii Principes, vel externi homines se in eam conquestionem, vel commercium intromitterent, cum tamen Christus Dominus Marci ultimo, Apostolis dicens: Ite in mundum universum, & prædicare Evangelium omni creatura, &c. simul concesserit omnibus futuris Christianis, & Regibus facultatem, ut Apostolos, eorumque successores in eo munere juvarent: deinde & jus gentium omnibus fecerit commune prædictum commercium, juxta text. in l. ex hoc jure, ff. de justitia, & jure, ita ut regulariter à nullo etiam supremo Principe restringi, & prohiberi possit